



Ar

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.

10.

11.

12.

13.

14.

15.

16.

17.

18.

19.

20.

21.

22.

23.

XLI

19

Q. D. B. V.

DISPUTATIONEM JURIDICAM
INAUGURALEM,

D.

PRÆSCRIPTIONE DELICTORUM,

Decreto & Autoritate

MAGNIFICI, NOBILISSIMI,
AMPLISSIMIQUE JURECONSULTORUM
ORDINIS, IN ILLUSTRI ARGENTI-
NENSIA LYCEO,

Pro summis in Utroque Jure
adipiscendis Honoribus,

Solenni Eruditorum Disquisitioni
exponit,

CONRADUS STRAUS, Wittebergā
Saxo.

Die Martii Ann: MDC LXVII.


H. L. Q. C.

ARGENTORATI,

Literis GEORGII ANDREÆ DOLHOPFFII,

Imprimebat JOHANNES Schüs.







Auspice DEO.

Cum Justinianei Iuris tam ampla
sint volumina, ut omnem ferè actionum
humanarum materiam exhaustant, equi-
dem multa in eo occurunt, quæ ut incon-
grui quandoq; quiddam, sic injusti etiam
quibusdam spirare sunt visa. Et equidem
communiter ita evenit, ut, quod vastius atque diffusius opus
est, eo magis soleat magnitudine sua laborare, ag. doctis ta-
xari frequentius. Quā tunc ratione effectum esse crediderim,
ut non ignobilia quædam Iuris nostri capita, à magni no-
minis Theologis, moralisq; Philosophia Doctoribus, injustitia
sint insimulata. Præsertim quod permisisse quadam illud
argunt, quæ accuratiū examinata, Divino pariter ac na-
turali Iuri bellum indicere edocent. Id quod non licere
mundano legumlatori citra iniquitatis notam, habent pro
certo. At cum Iuri operam navaturo incumbat, non prece-
pta legum nosse tantum, sed in rationes earum insuper in-
quirere, quæque adversari iis videntur, conciliare & per-
spicuā explicatione, pro virium facultate juvare: non ma-
lē collocare eum operam suam dixerim, qui in hoc genere ar-
gumenti pertractando desudat. Cujusmodi cum & hæc de
delictorum præscriptione materia sit, convenientem eam
merito

A

merito

2.

merito instituto meo judicavi, ut pro ingenii ratione, pauca
quædam ad dilucidationem ejus dicerem. Cui conatus ut
faveas, benebole Lector, & meæ speropreces & communis
studiorum favor impetrabunt.

§. 1.

Orographo-
ria

Praescriptionis materia uti ampla atque diffusa satis est, ita vo-
cabuli ipsius significatio, multiplex & varia deprehenditur. Et
quidem ad etymologiam notasse sufficiet, vocabulum illud deri-
vativum esse, & à verbo Praescribere dici. Quod cum à Gramma-
ticis pariter & Jctis diversimodè usurpetur, ejus varia acceptio
brevibus per texenda veniet. Illis autem notat quandoque ex ge-
nuinâ vocum interpretatione, ante seu prius scribo, prout à Cice-
rone in epist. teste Schardio in Lex. Iurid. verb. Praescribere. usurpa-
tum ita esse legitur, vid. Math. Mariini Etymolog. in voc. Praescri-
ptio; vel etiam significat Inscribo, h. e. titulum operi cuidam pra-
noto, uti canit Virgil. eclog. 6.

Nec Phæbo gravior ulla est,

Quam sibi que Vari prescripti pagina nomen.

Mox & significat Præcipio seu legem fero, quo in sensu multi ex
veteribus eō utuntur. Aptior tamen instituto nostro vocis si-
gnificatio est illa, quā dicitur, præscribere idem esse ac excipere,
seu exceptionem submoventem accusanti vel agenti contra nos,
objicere. Quam itidem veteribus non ignotam fuisse, Quintilia-
nus probat l. 7. Inst. orat. c. 6. Nisi & illam non incongruam mal-
imus amplecti, quā præscribere dicitur, quasi finire aut terminare
negotium. Quō in sensu non ineptè pariter ad argumentum præ-
sens trahi potest, ut præscribere sit quasi finem ponere seu limitare
propter certum temporis lapsum, intentionem actoris, ne ampli-
us contra reum aliquid moliri possit.

§. 2. Jcti vocabulo Praescriptionis variante temporum ra-
tione, diversimodè usi sunt. Ante Justinianum, quam lata est
l. un. C. de usucap. transform. eandem ab usucaptione ex triplici po-
tissimum ratione distinguebant. Postea autem confusis Praescri-
ptionum & usucaptionum juribus, ferè in dupli sensu ipsis vox
illa

illa venit. Primo enim notarunt eā, dominii seu juris cuiusdam acquisitionem, uti definitur in l. 3. ff. de usucap. & l. 20. C. de paci. ita, ut non tantum exceptionem præbeat possidendi, sed possessione etiam amisā, tribuat utilem actionem ad rem prescriptam vindicandam, l. 8. pr. C. de prescripti. 30. vel 40. ann. Secundo sumunt præscriptionem pro exceptione, quā reus agentem vel accusantem repellit ac submovet. Quod constat ex l. 11. 23. ff. de except. l. 2. C. de prec. simp. offer. l. 13. C. de procurat. l. pen. & ult. C. de except. seu prescript. l. ult. ff. de suspect. tut. l. 3. ff. de prævaricat. vid. Barnab. Brisson. in select. antiqu. Jur. voc. Praescriptio. Gilken. Tr. de Praescript. p. 1. cap. 2. n. 15. & seqq. Alciat. Tr. de prescript. rubr. de quinque pedum prescript. Fac. Ruard. de veris usucap. different. contra Tribon. c. 8. & 9. Bachov. ad Treutl. vol. 2. D. 22. thes. 1. lit. H.

§. 3. Exinde constat, præscriptionem in sensu generaliori acceptam, ipsam etiam usucaptionem cōplecti, specialius autem sic dictam, tantum exceptionem significare, à reo in possessione constituto obiciendam. Quem postremum vocis significatum, hic maximè quadrantem & nos amplectimur. Siquidem præscriptio delictorum hoc potissimum operatur, ut ope exceptionis à poena propter crimen admissum nobis imminentem, absolvamur.

§. 4. Quare noui incommodè poterit dici, quod sit modus ^{de gryphalo-}
 à Jure Civili inductus, quō, propter temporis lapsum, reus perpe- ^{rejicit, qua}
 trati delicti, à poenā, vel ab accusatore vel inquirente judice sibi ^{tradat I.}
 intentatā, liberatur. De coercitione enim delictorum dum quæ- ^{Definitionē.}
 stio vertitur, fundamenti loco erit præmittendum, quod in omni ^{Prob: In o-}
 delicto, tacitus quasi consensus delinquentis subsit, ad poenam sub- ^{mni delicto}
 eundam. Inter species enim commutationum, sed involuntaria- ^{delinquentē}
 rum tamen, delicta sunt referenda. Quamvis enim unā tantum ^{consentire in}
 parte consentiente, quæ patrat scil. facinus, alterā autem, cui da- ^{poenam.}
 minum eō infertur, invitā, omne crimen perpetretur: attamen du-
 bium non est, quin rectè permutationibus delicta etiam accensean-
 tur. Cum omne factum, quod homini in hominem, non habito
 respectu ad eum, quatenus Reipublice cuiusdam civis est, jus
 quoddam tribuit, ad bona vel corpus ejus impetendum, generali
 hoc nomine veniat. Tale autem negotium quoties intercedit,
 non potest non qualemcumque consensum præsupponere, qui ad

dignoscendum delictum, voluntariē an involuntariē commis-
Neg: ex alio- sum, sit sufficiens. Nam quamvis alienum à quorundam hanc quā-
rū opinione. fitionem tractantium opinione sit, consensum præsumptum in de-
linquente adesse ad perpetiendam pœnam, neq; colligendum eum
generaliter, ex approbatione magistratus ejusque constitutionum:
Manet, con- attamen inficiandum non est, consensum delinquentis in ipso fa-
sensum esse cto posse deprehendi. Cujus effectus sanè in Jure non exiguis e-
in ipso factu. rit. Præbet enim ille causam, ut Magistratus in facinus commis-
sum, pœnā debitā animadvertere queat. Et sanè non interest, in
nostro arguento, sive dicas consentire delinquentem in obligati-
onem ad pœnam: sive asseras eum proæreticè agentem, consentire
in factum, quod pœnam immediate comitari, ipse novit. Neque
involvit hīc dicere, perpetrationem delicti esse actum consensus
illativum, quō probato de obligatione ad pœnam, amplius non sit
dubitandum, argumento illius qui hereditatē adit; ex l. 20. §. 4. l. 95.
ff. de acquir. vel omit. hered. l. 5. *ff. rem rat. hab.* & statuere, obligatio-
nem æquitati & communī utilitati, quæ delicta punienda esse suadet,
adscribendam esse, arg. l. 51. *ff. ad L. Aquil.* l. 18. §. 1. *de judic.* l. 35. x.
de sent. excommun. Cujus subtilioris distinctionis rationem, non
vanè à Civilis Juris Doctoribus inventam esse reor, quò origo &
causa differentiæ actionum personalium & realium, sibi eò melius
constet. vid. *Magnif. Dn. Dr. Frantz.* Exerc. 12. q. 1. *Gilkens de præscripti.*
p. 1. 65. Quamvis prior illa opinio alijs & rationibus & auctoritate
fulta, facile asseclas invenire queat. vid. *Hillig. ad Donell. Encl.* l. 15.
l. 23. *Vasqu. illustr. contr.* l. 2. 6. 55. n. 1. Nobis in præsens sufficiet, hoc
ex predictis elicere, quod, quoties delinquens, agitatis intuitu
aut aliâ ratione suadente, à pœna liberatur, tortes etiam ius, ad
eam infligendam competens, debeat sublatum censeri. Id quod
contingit, si Magistratus reo veniam criminis dat, eumque ob cer-
tam rationem, quæ in hoc nostro arguento præscriptio est, puni-
endorum numero eximit. Atque illa ratio, quæ ius illud punien-
di cessare facit, rectè modis tollendæ obligationis ad pœnam dici
potest, qua quidem forrè, uti quidam malunt, non provenit ex con-
sensu delinquentis in illam; sed tamen ex consensu in facto depre-
hendendo, qui monstrat voluntarium an involuntarium il-
lud sit.

§. 6. Jure

§. 5. Jure Civili dum introducta dicitur præscriptio, non *II. Formam*.
 absoluētē eam consideramus, quatenus apud alias fōrē gentes etiam
 fuit in usū; sed respectivē ad Rē publicām Romanām, à quā cer-
 tā formā & singularibus qualitatibus est prædicta. Neque in præ-
 sens nostrā facimus illam controversiam, utrū scil. aliis popu-
 lis aut cognitus aut ab iis usurpatus abolendorum criminū ille
 modus fuerit. Cum sufficiat ita materiam ejus in præsens pertra-
 ctasse, prout principia ejus ex legib⁹ civilib⁹ deponi possunt.
 Forma igitur præscriptionis hujus, præcipue indaganda se nobis
 offert. Constitit illa in lapsu 20. annorum, ita ut currente eo tem-
 pore, reus nullo modo admissi⁹ criminis postulatus sit. Cujus tem-
 poris spatiū utile computatur, sic ut in illo, annus cœptus pro
 completo habeatur. Quæ enim à Jure Civili inventa sunt, qua-
 lia sunt usucapiones, l. 1. l. 7. ff. de usucap. testamenti factio-
 nes, l. 1. ff. quieti⁹ facti poss. stipulationes, §. 9. I. de act. l. 5. §. 1. ff. de V. Obl.
 semper computationem temporis utilem admittunt. Gœdd. ad l. 2.
 §. 1. ff. de V. S. Wegner. eod. Magnif. Dn. D. Reinking. de Retract. ex jure con-
 sanguin. q. 7. n. 31. vid. & Roger. de præscript. c. 1. n. 13. Eustath. de tempor.
 intervall. rubr. de præscript. 20. ann. n. 7. Thoming. decis. 39. n. 17. Joach.
 à Beuf. de Jurejur. n. 870. Hæc certa temporis determinatio, uti-
 à reliquis præscriptionum speciebus, hanc nostram distinguit, ita-
 cum ea, quæ longi temporis dicitur, convenire eam probat. A quā
 tamen & ratione objecti & ratione effectus, illa longe diversa est. *Quomodo*
 Cum enim tam illa, quam omnes ferè reliquæ, circa acquisitionem
 bonorum versentur: hæc contra ad liberationem, à pœnā ob-
 ligati⁹ infligendā, occupatur. Hujusque effectus est, reo grati-
 am delicti facere: illius autem honorum proprietatem atque domi-
 nium tribuere. Quod infra speciatim pertractabimus.

§. 6. Cæterum cum quarundam præscriptionum essentia-
 le sit bona fides, operæ pretium erit disquirere, annum in hac nostra
 illa quoque requiratur? Notat autem in bonā fide esse, idem ac-
 credere, sibi à domino rem traditam dominiumque ejus acquisi-
 tum esse. vid. Fagundezius Tract. de Casib⁹ Consient. l. 12. c. 8. n. 12. Molina
 de J. & J. Tr. 2. D. 63, in pr. Hoc si præsenti argumento effet ac-
 commodandum, equidem in eo sensu phrasis ista accipienda non
 erit. Sed cum ratio bona fidei in civilibus hoc postulet, ut scilicet

Q. An bona
fides requi-
ratur in hac
præscriptione?

præscriptione tueri se cupiens, persuasum sibi habeat, id quod per eam ipsi tribui debet, dominium scil. jamdum suum esse; videtur in hac materiâ nostrâ, non incongruè, ad imitationem illius, is in bona fide esse, qui putat, aut se planè non peccasse, aut culpam tamen commissi sceleris, leviorem esse, quam ut ullam pœnam propterea debeat incurtere. Quod enim in usu capione rerum persuasio rem scil. usucapiendam nostram esse, præstat, hoc in præscriptione hac, opinio, delictum à nobis commissum non esse, operatur-

§. 7. Hæc quamvis minus accuratè dicta videri possint, cum omnes tam explicate credantur esse memoriae, ut admissi crimini non facile eos subeat oblitio: si tamen exercitii gratiâ, in latiorem differendi campum excurrere vellemus, certè possent ejusmodi casus singi, quibus factum ipsum aut ejus præcipua circumstantiæ, reum fugiunt, siveque ille quasi bonâ fide delictum commisisse, dici potest. Quid enim diceies, de delicto à summè ebrio commisso? Aut quid de cæde in turbâ confectâ sentires? Dum plures quidem vulnerati, unus verò occisus est, neque constat, quisnam lethale vulnus inflixerit. Annon eum, qui leviorem tantum se plagâ cuidam ex vulneratis intulisse credit, si post longum temporis spatium apparuit, ipsummet eum percussorem fuisse, ignarum delicti, siveque in bonâ fide constitutum judicares? Et quid denique de delicto per ignorantiam commisso, autumandum putabis? Quale duplex Oedipū patrassè historiae produnt. Qui putans hostem se prosternere, patrem interemit, & matrimonium licitum inire, incesto flagitio matris se polluit. *Sophocles in Oedipo Tyranno.* Cujusmodi plures alia factorum species excogitari possunt, quæ reum in bona fide constituunt, ut ipse probabiliter ignoret se delinquisse.

§. 8. Verum enim verò si in his tantum casibus præscriptiōne delictorum valere statueremus, sanè timendum foret, ne eam angustioribus terminis, contra verba mentemque legislatoris includamus. Sic enim (1) casus isti sunt minus frequentes, raroque admodum contingunt, hinc de iis tantum legislatorem non cavere voluisse, arg. l. 4. s. 6. ff. de LL. præsumendum est. (2) cum constet legem nostram. 12. C. de fals. & l. 2. & 3. ff. de requir. reis. quæ materiam hanc præscriptionum tractant, de delictis dolosis loqui, quæ pœna ordinaria sequitur, dolum autem nullum admitti, nisi

præce-



præcedente deliberatione; sanè adducta exempla non probabunt,
quod quædam malefacta pœnam ordinariam merentia, cum bona
fide sic possint committi. Nam quod primum de ebrietate addu-
ctum momentum attinet, sanè notum est, eam si tanta fuerit, ut
omnem usum rationis intervertat, à pœnâ ordinariâ excusare
arg. l. 6. §. 7. ff. de re milit. l. 12. pr. ff. de custod. &c exhib. rer. l.
II. §. 2. ff. de pœn. vid. Anton. Blanca in Prax. crimin. p. m. 228. Al-
terum quidem magis movere videtur, quia in turba interempto
lethalē vulnus infligens, ordinariâ L. Corneliae pœnâ tenetur. l.
ult. ff. ad L. Cornel. de siccari. l. 15. §. 2. ff. ad L. Aquil. Menoch. l. 2. arbitr.
Jud. quest. cent. 4. cas. 362. Berlub. P. 4. concl. II. n. 5. Sed hic tamen
benè ponderandum erit, casum hunc ferè dabilem, uti loquuntur,
non esse. Quia vix est possibile, ut post 20. annos demùm, com-
missi criminis veritas emanet. Etenim necesse esset, vel per testes,
vel per complices, probationem istius eruere. Jam verò ratio pro-
cessus criminalis, celerem examinationem eorum requirit l. 13. C.
de judic. haud temere post 20. demùm annos instituendam. Et
quid si demùm largiremur, ob supervenientes novas probationes,
aut propter latitationem seu fugam rei, vel ob negligentiam Iudicis
processum exercendi differentis, reum post lapsum demùm 20. an-
norum, resuscitere, patratum à se delictam esse; non sequeretur ta-
men inde, hoc in solo casu præscriptionem tantum obtinere. De
omnibus enim maleficis loquuntur dictæ leges, non de homicidio
tantum. Malè ergo ex eo quod singulare est, generalis struetur
consequentialia. Cum tam speciales calus, in reliquis delictis fortè
non occurrant. Per rarum enim est, dolo, hoc est, ex proæredi age-
re, & tamen nescire illud factum esse. Quod dum hic contingit,
ejus non alia ratio reddi potest, quam quod animus occidentis ei-
tore probabilisibi persuasum habet, intentionem suam, effectum
cædis secutum non esse. Tertium quod attinet, pariter exceptionem
à regulâ non præbet. Quia principium agendi in Oedipo par-
ricidium & incestum committente, non spontaneum, sed invi-
tuum fuit. Per ignorantiam enim & quidem invincibilem ille in-
ductus est, ad hæc flagitia committenda. Hornejus L. 3. Philos. Mo-
ral. c. 4. num. 13. Hæc omnia altiori indagine perpendentibus ap-
paret, bonam fidem in delictis præscribendis non requiri, sed suf-
ficere:

ficere lapsum temporis vicennalem, nullâ accusatione aut inquisitione interruptum.

§. 9. Post hæc constat, judicium hodiè in criminalibus dupli viâ expediti. Sic enim vel per modum accusationis, vel inquisitionis, contra reum agi potest. Godofr. Bayo. Theorica crim. §. inquisitio. num. 13. Quorum ille fundamentum habet in l. 3. ff. de delict. priv. l. 7. de accusat. l. 19. C. ad l. Jul. de adult. hic verò in l. 1. C. de cust. reor. Nov: 128. c. 21. c. 17. 21. 24. x. de accusationibus.

Ratio dubit.

Non immeritò ergo queri posset, an præscriptio hæc locum obtemperat, utrò eorum modo illud exerceatur? Ad primum questionis membrum tantum afferendum, facere aliquid posset ratio, quæ in l. 18. C. de transact. militat. Scilicet quod propterea illa in Jure toleretur, quia dùm accusatori juri suo renuncianti ansam præbet, non statim Judici etiam per inquisitionem scelus vindicatu, præjudicat. Ut cui integrum adhuc est, insuper habitâ transactione inter accusatorem & delinquentem factâ, in facinorosum ob Reipubl. commodum, animadvertere. Et posset sanè in præsenti materia, ideo speciosior cuidam videri hæc sententia, quia Juri naturæ minus est absona, quod impunitatem delictorum omni modo abominatur. Utcunque tamen illa se habeant, malumus nihilominus eorum adstipulari opinioni, qui præscriptionem utroque modo obtinere statuunt. Moti sequentibus rationibus, (1) quod scilicet inquisitio successit in locum accusationis, Judexque inquirens, fungitur officio accusatoris. Jam verò si conceditur, juri accusandi 20. annis præscribi, non negandum quoque erit, totidem par modo & inquisitioni prajudicari. Sic enim inquisitio codem plane jure censenda est, quô accusatio. Ut surrogata eidem, hincque ex regula Juris ejusdem naturam per omnia lapsius. vid. Hier. Gigas Tr. de crim. lsf. Majest tit. qualiter & quando in crim. lsf. Maj. proc. q. 14. & 29. Barbos. de præscript. 30. vel 40. ann. n. 241. Prosp. Farin. Prax. Crim. L. 1. tit. I. q. 1. n. 68. & q. 10. n. 30. Magnif. Dn. Carpz. in Prax. Crim. P. 3. q. 142. n. 8. Dan. Mollerus semestr. L. 1. c. 41. Angel. de Castro Cons. Crimin Vol. I. c. 94. num. 10. Di Castillo de Just. & Far. I. 2. c. I. d. 1. dub. 12. n. 256. Rodriguezius tom. 3. qq. regularium 6. art. II. Tholosanus l. 40. Syntagma jur. c. 5. 26. (2.) constat ex l. 12. C. de falf. quod præscriptio hæc; per modum exceptionis proponatur, reus enim conventus

*Aff. per ra-
ziones deci-
dendi.*

conventus de crimine aut Judex defecatum defensionis supplens, uti reliquas illius causas ita & hanc allegare possunt. Jam verò omnes exceptiones, accusatoribus opponendæ, etiam contra inquietentem Judicem habent locum. Boër. *decif. 26. num. 4. Gædd. ad l. 121. de V.S. Angel. Aretin. Tr. de malef.* in verbo, ejus bona publicamus q. 9. (3.) Vocabulum querelæ, tām de accusatore, quām de inquirente Judice intelligendum est, cūm uteque de puniendo reo in Judicio agens, de crimine queratur. Quæ autem generaliter efferuntur, de unā aut alterā specie tantum, prædicari non debent.

§. 10. Non obstat, quod de transactione super crimine capitali, ex paritate, uti loquuntur, rationis, motum est dubium. Di-versa enim obtinet ratio in transactione de delictis, & præscriptione eorum. Cum illa conventione privatorum, quā injuriæ sibi quidem illata renunciare licet, nihil autem justitiæ & legibus pœnam poscentibus potest derogari: uti eleganter hoc persequitur Zwing-ger. *in scholiis ad Aristot. 5. Eth. 5.* hæc verò legibus permittentibus fiat, quæ impunitatem à delictis tribuere possunt. 2. Illa statim post delictū commissum potest interponi: hæc non nisi tempore justo præter-lapso obtinet. 3. Illa remissionem Juris accusandi, à parte accusantis præsupponit: hæc negligentiam Judicis, aut defecatum probationis, post tantum temporis præsumit. Neq; quicquam facessit negotii, quod glossa ad d. l. 12. C. de falsis, verb. querela statuit, Judici sc. post lapsum vicennii, officium suum adhuc manere integrum, & posse eum per triginta annos, in delictū commissum inquirere. Nullum enim hīc Judicis officium est, cūm id, quod ratione inquisitio-nis ipsi incumbit, hoc nostro casu exerceri non possit, quō per præ-scriptionem ipsi est derogatum. *V. Bartiolus ad h. l.*

§. 11. Antevertimus dicere in præcedentibus, lapsum il-lum temporis vicennalem, omnem delictorum vindictam finire, tām ab accusante, quām inquirente Judice exercendam. Jam au-tem actionum alia planè ratio est quām exceptionum, cū illæ pro-ut vel civiles vel criminales sunt, 30. vel 20. annis, aut breviori quandoque spatio præscribantur, ex L. 3. C. de prescript. 30. 40. ann. item l. l. 12. & l. 3. pro nobis allegatis: hæc contra, sint perpetuæ, ut nunquam currat præscriptio, nisi actio prius fuerit intenta, quam illa excludat. *Wesenb. in n. de Except. num. II. Balbus in Tr. de pre-script.*

Q.

script. P. 4. part princ. 4. 37. Quæ cum ita se habeant, opera premium erit, quæstionem hic movere, utrum etiam exceptiones occasione delictorum oriennes, istius naturæ sint, ut præscriptione nullâ tollantur? Sic enim v. g. uxor adulterii convicta vel pater suis, maritum de dote convenientes, possunt exceptione adulterii repelliri. l. 8. §. 5. & 7. C. de repud. Nov. 134. c. 10. Quod si autem adulterium per quinquennii lapsum præscriptum esset, quæstio sanè non levis oritur: an maritus actione de dote conventus, nihilominus adhuc de commissio olim flagitio excipere, sive restitucionem dotis recusare posset? Id quod affirmandum duximus, moti diversitate rationis, quæ inter actiones exceptionesque obtinet. Cum enim multa in accusatione concurrant, præsertim negligentia Judicis, & defectus probatorum, quæ poena suspensionem suadent, appareat sanè, ea omnia excepturo de criminis impedimento non fore. Ut cui non valenti excipere, nihil horum imputari potest, arg. l. 1. C. de amal. except. Sicque rectè infertur, quod temporalia ad agendum, sint perpetua ad excipiendum. l. 5. §. 6. ff. de dol. mal. & met. except. l. 5. C. de except. Ant. Perez. Comment. in Cod. tit. solut. matrim. quemadmod. dos pet. Villalobus in commun. opin. lit. A n. 69.

Q. Quid ob-
tinetur de Ju-
re Saxonico?

Affertur si.
cennalem
eam manu-
re.

§. 12. Etsi hæc, quæ hactenus dicta sunt, in Jure Civili tantum fundata esse videantur, tamen nihil impedit, quò minus ad forum Saxonicum perinde trahi possint. Constat autem eo Jure, duas esse tantum præscriptionum species, quarum altera rerum scil. mobilium, anno & 6. septimanis absolvitur: altera rerum immobilium juriumque incorporalium, per 30. annos & 6. hebdomades currit. Quod constat ex variis textibus Juris istius, allegatis suis à Dn. Schultz. in Synops. Instit. ad Tit. de usucap. lit. L. Et facit hoc potissimum Const. Serenij. Elecl. Aug. P. 2. const. 6. & ad eam Dn. Carpzov. in Defin. forens. Jam decidendum veniet, utri hæc vicennalis nostra accensenda sit? Et convenient ferè omnes in eo, quod præscriptiones de Jure Civili brevioribus spatiis terminatae, his constitutionibus nullo modo correctæ, neque ad tricennalem hanc sint referendæ. Sicut enim biennales, triennales &c. pluresque aliae, suis spatiis à Jure Civili sibi præfinitis, relinquuntur, ita hæc vicennalis quoque formam, quam semel facta est, retinet. Cujac. 4. O. 14. Pet. Heig. P. 1. q. 16. num. 50. & seqq. Modest. Pisl. Illust. quæst.

56.n. 4.



§ 6. n. 4. & 27. Boff. in Pract. Crim. tit. quomodo procedatur per actionem in delict. Schneiderv. Comment. Inst. de spec. prescript. num. 55. Coler. Decis. 76. num. 39.

§. 13. Assertionis ratio in aprico est. Cùm enim Jus Saxonum, cuius satis magna aliàs autoritas, in præcipuis fere Romani Imperii provinciis est, juri particulari seu statutario veniat accensendum, Berlich. Decis. 50. num. 14. Modeft. Pift. Conf. II. num 5. verba ejus, quæ de præscriptione rerum civilium tantùm loquuntur, extendi aut dilatari non poterunt. 1. Quoniam statutorum *Rationes de-interpretatio ita est facienda, ut quām minimum detrahatur Ju-ri communi.* Bartol. ad l. omnes ff. de LL. num. 44. Angel. Aretin. ad §. Jus autem Civile. &c. Inst. de J. N. G. & C. n. 18. & seqq. Dan. Moller. I. 4. semestry. c. 41. num. 9. Pluraque allegata videantur apud Marium Giurban consuet. Senatus Messalenfis cap. I. Gl. I. part. I. Multùm autem ipsi derogaretur, si tām diversa præscriptionum jura, ab Imperatoribus tot vigiliis excogitata, particulari quadam constitutione subverterentur. Et 2. perpendendum hīc probè est, quod versemur in correctivā Juris Communis, uti amant loqui JCti, illa autem uti odiosa, arg. c. I. in fin. de filiis Presbyt. in 6. quantum pote est evitanda. C. 29. x. de elect. in 6. Cùm plurimi ex Dd. velint, correctiones legum esse restringendas, neque permittendam in iis extensionem ob identitatem rationis, arg. I. 32. §. 6. C. de appell. I. 27. C. de teflam. Nov. 20. c. 9. vid. Conf. Rogerius P. 5. num. 3. p. 58. Eberh. à Middelburg in loc. à ratione largā seu generali ad extensionem ipsius legis, 79. tantum ob majoritatem, & quidem ex regulā, cui licet quod plus est, licet utique quod est minus, extensionem in correctoriis permittens. Matth. Mattheflan. in Tr. de Interpret. extens. num. 1. Quin & 3. certum est, præscriptiones quo sunt longiores, eò magis odiosas esse. Hinc interpretatio Juris statutarii potius contra eas erit facienda, sicut colligetur, quod illud longiores præscriptiones maluerit coarctare, quām breviores ampliare & prorogare. Dn. Carpzov. Prax. Crim. I. c. Zanger. de Except. P. 3. c. 70. Quare utique quæ in Jure Saxon. nova statuuntur, ad præscriptionem tantùm rerum civilium, speciali privilegio non gaudentium, erunt restrin-genda, neque ad correctionem peculiarium jurium poterunt ex-tendi.

III. Materie
am circa
quam.

*Diff. inter
publica &
privata deli-
cta.*

*Duplex del.
s. sert. 16. num. 5.*

*In Vera &
quasi deli-
cta.*

*2. In ordina-
ria & ex-
traordina-
ria.*

*Qs. delicto-
rum 1. Judic-
ces ex impe-
ritu male
Indicantis.*

§. 14. Progrediendum jam pro instituti ratione ad reliqua thematis propositi capita, disquirendumq; specialius erit, in quibus delictis præscriptio obtineat locum? Innuunt sanè verba sæpius citatarum legum 12. scil. C. de fals. & 2. & 3. ff. de requir. reis, quod pleraque ferè crimina eidem sint obnoxia, quæ tamen brievioribus spatiis includantur. Inter hæc primo loco solent referri, delicta privata. Quomodo ea à publicis distinguantur, alienum ab hoc loco est operosius querere. Sufficit generaliter prælibasse, quod hæc ad læsionem totius Reipubl. tendant, publicâ lege de iis caveatur, eorumque accusatio omnibus ex populo competitat: l. 3. §. 3. ff. de prævaric. l. 1. ff. de publ. jud. l. fin. ff. de priv. delict. l. 2. ff. de concuss. Aretin. Tr. de malefic. num. 14. p. 41. illa ob damnum homini privato illatum, civili & forensi actione, ab eo qui læsus est, vindicentur. Vid. l. 9. §. 5. ff. depUBLICAN. l. un. C. quand. civ. cauf. prejud. crim. Jul. Clar. l. 5. sent. §. 1. n. 1. Vult. Comment. ad pr. f. de publ. Jud. n. 6. Sutholt Dis-

cernuntur, quarum prima petita est à formalí ratione delictorum, quæ consistit in evopis seu vitiostitate actus, ex animo delinquentis, ex deliberato & proœsti aliiquid perpetrantis, solummodo dijudicandâ. vid. Domin. de Soto de f. & f. q. 2. ax 6. Magnif. Dn. Tabor. Racem. Def. Crim. 1. 25. Ext. Dn. Dr. Struv. in Syntagm. Jur. Civ. Ex. l. th. 31. Quasi si adest in delicto, verum & propriè sic diūlum appellatur, eā autem deficiente, improprium seu quasi delictum dicitur. pr. f. de Oblig. qua ex qs. delict. nasc. Altera ex effectu qui sequitur delicta pœna scil. interrogacione, desumitur, cuius modus, si à lege ipsa est præscriptus & certò determinatus, delicta illa ordinaria dicuntur, fin autem Judicis arbitrio in eo omnia committantur, extraordinariorum illa nomine veniunt. Faciunt huc l. 13. de pœn. l. fin. ff. de delict. priv. l. fin. ff. defunt l. fin. ff. de injur.

§. 15. Quod attinet jam quasi delicta, ea singula ferè certos fines à legibus naœta, generalique præscriptionum regulâ exempta sunt. Primum horum se offert, quod Judex ex imperitiâ male judicando contrahit, cuius pœna actione in factum potest peti, ut scil. Judex condemnnet eum in id, quod ipsi æquum visum fuerit d. §. 1. f. de oblig. qua ex qs. del. nasc. l. ult. ff. de exiāord. cognit. l. 5. §. 4. ff. de O. & A. l. 15. §. 1. ff. de judic. Quæ actio quia interesse partis, in cuius

cujus causa male judicatum est, persecutur, perpetua uti alias
persecutoriae erit censenda.

§. 16. Sequitur alterum, quod obligat illum, ex cuius domo
vel conaculo aliquid dejectu vel effusum est, quo prætereunti aut
rei aut corporis damnum infertur. Quod si aestimationem recipit,
quale est, si nocetur vestimento, animali aut servo &c. actio in du-
plum datur, l. i. pr. ff. de his qui dejec. vel effud. §. i. J. de oblig. que ex qs.
delict. eaque ex parte agentis est perpetua, quippe heredi compe-
tens; ex parte vero rei convenienti, naturam reliquarum actionum
penalium, ex delicto venientium retinet, l. s. §. s. ff. de his qui
effud. vel dejec. Sin autem res in aestimabilis sit, qualis est corpus li-
beri hominis l. 3. ff. si quadrup paup. fec. dic. iterum interest, an le-
thale sit vulnus inflictum, ita ut homo perierit, quo casu actio po-
pularis datur in 50. aureos annum tantum durans per d. l. s. an vero
levius quoddam vulnus sit illatum, & tunc illi cui nocitum est, per-
petua competit actio, heredi vero tantum annalis. Idem judi-
candum de actione in 10. solidos, contra illum dandam, qui aliquid
positum habet, cuius casus nocere potest aut jam nocuit. Est au-
tem illa duplex, directa scil. contra eum competens, qui possum
quid habet in suggrundam vel protecto, quod si decidisset, potuisse
nocere: & utilis, tunc danda, quando aliquis vel ex reticulo
suspensus, vel in pergula quid possum habet, quod jam decidit,
& danum dedit; que ad exemplum prioris ex l. s. §. 12. ff. de his qui
dejec. in 10. aureos datur, d. l. s. §. 8. eod. Et utraque cum popula-
ris sit, ultra annum non durabit. Ead. l. s. ult.

§. 17. Tertium committitur ab illo, qui in navi, capo- III. Natura-
na, aut stabulo, ministerio aut operâ perditorum hominum uitetur, rum capo-
à quibus furto aut alio damno nocetur ei, qui res suas illi credidit. num &c.
Actio que contra eum datur, dupli in factum, ejusdemque natu-
re cum præcedentibus est, dum heredibus, sed non contra here-
des datur, l. ult. §. 6. ff. naut. cap. stabul.

§. 18. Notandum hic est, quod in his actionibus, planè sin-
gulare aliquid occurrat, à naturâ reliquarum actionum penalium
Prætorianum alienum. Cum enim ex annua alijs sint, ex l. 35. ff. predictarum
de obl. & ad. prædictæ duæ perpetuæ durant, heredique concedun-
tar, quamvis penales. Et quidem de furti actione idem statui
penalium.

II. Effun-
dens vel
dejacentis.

novimus; pr. I. de perpet. & tempor. act. sed subest ibi ratio, quod scil. poena furti, non simpliciter ex jurisdictione Prætoris provenit, probat enim Gellius l. II. c. 18. Noct. Attic. & Alex. ab Alexand. l. 6 c. 10. Genial. dier. quod decemviral lege liberi homines, Domino rei furtivæ, ob furtum commissum, in servitutem traditi sint. Hinc mitior tantum poena à Prætoribus ipsis statuta, non autem de novo ab iis inventa est. Quare exceptio de regulâ non erit; cum actiones penales non ex Prætorio, sed Civili jure provenientes, perpetuas esse, non negemus §. I. I. de perpet. & tempor. act. Fatetur Bachov. ad Treuil. Disp. 18. thes. II. lit. B. aliquid extraordinarii his actionibus inesse, ejusque causam paulò subtilius rimatur. Sic enim putat propterea d'uturniorem poenam imponi, ut patres familias sui officii magis admoneantur, in agendâ accuratori domesticorum curâ, ne eorum dolo aut culpâ quicquam peccetur, quod securitatem viarum publicarum evertat, & diversoria, quia peregrinantes adire oportet, inhospitalia reddat. Hæc equidem ratio sufficere posset, si eorum inhaerere sententia vellemus, qui moti l. 4. ff. de column. l. 7. vers. actionem. C. de revoc. donat. l. 5. §. ult. ff. de inoff. test. l. 5. §. 5 ff. de his qui effud. vel dejec. l. 9 ff. de relig. & sumpt. fun. regulâ generalē tradiderunt, quod scil. actiones penales heredibus nō dentur, ita sentit Am. Fab. in Rat. ad l. 4. ff. de column. Wiesnb. p. 53m in Parat. tit. de injus voc. n. 8. ne vis fiat ei. n. 6. de columniat. n. 4. At nescio quid tunc respondendum sit ad l. 1. §. 1. ff. de priv. delict. item §. 1. I. de tempor. act. qui textus volunt, penales actiones heredibus non esse denegandas. Sanè Bachovius ipsemet Disp. 5. de act. th. 5. actius perstringit eos, qui hanc opinionem amplectuntur. Quin & aliam generaliore rationem suppeditat, distinguendo inter actiones penales ex causâ minutii patrimonii: & ex causâ læsæ existimationis competentes. Piores ut quæ persequuntur id, quod patrimonio deest, perpetuæ sunt, de quibus intelligendæ, d. l. 1. & §. 1. l. dd. loc. posteriores autem injuriam defuncto illatam ulturæ heredi non competit, cum ab illo remissæ presumantur, siveque tunc d. l. 35. ff. de O. & A. locum habebit Dn. Dr. Tabor Racem. Defin. Crim. I. 59.

§. 19. Quæ utique præferenda priori opinio est, cum prius illa adducta ratio, omnibus satisfacere dubiis inde natis, non sit sufficiens.

ciens. Siquidem si generalis regula obtineret, quod scil. pœnales actiones heredibus non dentur, nisi ob specialem rationem, quæ in istis duabus, actione scil. dejecti, & actione in factum contra nautas &c. allegata est; sequeretur quod in reliquis pœnalibus, quæ etiam heredibus dantur, pariter tales sint inveniendæ. Quæ tamen cum deficiant, sanè de aliâ ratione difficultatem hanc exhaudiendi, cogitandum fuit. Quare ut in viam redeamus, sentiendum est, actionem de dejecto & effuso, quam diximus, dari, cum damnum rei nostræ æstimabile est illatum, uti & eam, quæ in factum contra nautam &c. competit, non planè pœnales esse, sicque primo generi actionum esse accensendas. Excellentiss. Dn. Dr. Struv.

Exerc. 14. th. 32.

§. 20. De quasi delictis hactenus dicta sufficiant, succedunt extraordinaria crimina, pariter breviori, quam 20. annorum termino finienda. Eorum quæ natura quæcumque varia genera sint, e- quidem ab instituto nostro alienum est, copiosè hoc loco disquirere. Poterunt ad materiam illam dilucidandam, non parùm momenti conferre ea, quæ ad tit. *de extraordin. crimin.* commentati sunt Dd: præcipue autem juvabit consulere *Ant. Matib. Tr. de crimin.* Nobis notasse sufficiet, extraordinaria crimina in genere omnia annuali præscriptione tolli: quoniam ad popularia referuntur judicia, quæ cuncta intra annum perimuntur, *I. ult. ff. de popul. act.* Cujac. de divers. temp. *præscript. c. 28.* Modò tamen pœna iis actionibus peratur, non privatum cuiusdam interesse, sicut enim perpetuæ illæfient, arg. *I. 3. § 34. & 44. ff. ne quid in loc. publ.* Vid. Dn. Dr. Hahn. Observat. in *Wesemb. Parat. de popul. act.*

§. 21. Sicque absoluti illis divisionum membris, quibus ordinariis delicta vel quasi talia, vel extraordinaria diximus; ordinis ratione monet, ut jam ad delicta vera & ordinaria, privata tamen perinde uti priora, deveniamus. Inter que primum se offert pertractandum furti crimen, à veteribus Jctis ipsoque Imperatore nostro, inter privata delicta relatum, *pr. I. de oblig. que ex quasi delict. nas.* Magnif. Dn. Dr. Rebhan. Præcept. meus de venerand. in *Hodoget. Jur. P. 2. Clim. 2. parall. I. §. 6.* De quô tamen moderno Jure non frustra quæritur: *Sitne inter privata an publica judicia numerandum?* Sanè si accusatiūs hæc revocaremus ad calculum, apparebit sanè, omnia ferè requisita

Q.



Aff. per rationes.

requisita ipsi inesse, quæ ad delictum publicum concurrere debere, & jura & Dd. statuere. Nam furti accusationem, cuivis ex populo competere, (id quod maximè Jura requirunt, §. 1. I. de publ. jud.) nemo est qui ambigit. Sed & legibus specialibus introductū, & ab ipsis illis sic publicum factū appellandumq; esse, satis probant Constit. Friderici de pace tenenda. §. si quinque solidos, item p. h. d. art. 159. Quæ nota est pariter publici delicti à l. 1. ff. de publ. jud: ipsi apposita. Præterea & modus tam instituendi quam exercendi judicia publica, in coërcendo furti crimine pariter occurrit. Ille enim potissimum in eo consistit, quod vel per accusationem, vel per inquisitionem contra reum procedatur, quodque in iis certus reorum status, peculiares judices, non arbitri, quin & singulares & ad incutendum aliis terrorem, graviores potissimum damnationes, se offerant observanda. Cujac. l. 8. obs. 33. Bachov. ad Treutl. vol. 2. Disp. 31. ib. 1. ltu. A. Quæ omnia in furti judicio obtinere praxis hodie in edocet. Weisenb. in parat. de furt. n. 15. Clar. l. 5. sentent. §. 1. n. 6. Vim. ad §. 1. l. de publ. jud.

§. 22. Cum verò odio furum varia remedia Juris sint concessa, quod dignè in scelus illud animadvertisatur, §. 14. & 18. I. de act. diversimodè etiam de pœnis ejus erit judicandum. Et quidem rei persecutoriae actiones duæ, vindicatio scil. & condicione furtiva, perpetuæ sunt, cum ad pœnam non tantum ex l. 3. C. de prescript. 30. vel 40. ammor. l. 7. §. ult. & l. 9. ff. de condic. furti. Actiones autem in duplum & quadruplum, cum sint merè pœnales, equidem heredi competit, §. 1. l. de perpet. & tempor. act. contra heredem autem non dantur, §. ult. l. de oblig. qua ex del. nasc. Sutholt. dissert. 16. §. 34. Capitalem laquei pœnam, qua ex dictis Constitutionibus venit infligenda, 20. annis prescribi credendum est. Cùm ratione illius furtum inter publica crimina sit referendum, quæ in generali regula d. l. 12. comprehenduntur. Neque hoc novum aut à Jure alienum est, quod nascente simul ex eodem delicto civili & criminali actione, hæc vicennio, illa autem 30. annis prescribitur. Nam ratione Juris consonum est, duriora judicia breviori tempore tolli, contra autem vix est concessum, quod is, qui leviori judicio ad pecuniam aut aliam mitiorem pœnam, non agere potest, uti in actione

actione injuriarum de dolo &c. contingit, gravius ad corporis inflictivam tendens, possit intentare. VId. l. i. §. 1. C. de annal. except.

Ant. Matth. de Crimin. tit. 19. c. 4.

§. 23. Legis Aquiliæ actio pariter non uniusmodi depre-
henditur, nam quæ competit ob ^{2. Damnum} *l. Aquil.* rei familiaris illatum, non ex *l. Aquil.*
habitudo respectu ad estimationem pluris, rei persecutoria & perpe-
tua est. *Wesentl. Comment. in Cod. ad tit. de L. Aquil. Vinn. d. §. ult. de oblig.*
coercitum.

ex delicto. At qua eam petit tam ex primo quam tertio *l. Aquil.* *Ex eo non fit actus a*
capite, penal is est, hinc ultra annum non durat, neque contra *he-*
redes potest dari, §. 9. & 13. l. de L. Aquil. l. 23. §. 8. ff. ad L. Aquil: cui *l. q. 1. q. 1. p. 1. p. 1. p. 1.*
subiungenda actio, quæ contra insificantem ex *l. Aquiliæ* datur in
duplum, sic enim & illa penal is est, & annali tempore prescribi-
tur, §. 23. *l. de act. l. 2. §. 1. l. 23. §. 10. ff. ad l. Aquil. l. 4. C. eod.*

§. 24. Cum actione vi bonorum raptorum res salva est, ^{3. Rapina.}
Triplum enim illud, quod ultra rei persecutionem actioni illi in-
est, ad pœnam refertur. Quare post annum peti illud nequit, cum
contra simulum rei persecutoria perpetuo obtineri queat. Quod
perspicue traditur in *pr. l. de vi bon. rapt.*

§. 25. Injuriarum acturo constat pariter duo remedia com-
petere, Prætorium alterum, §. 8. *l. de injur.* alterum civile, §. 9. *l. cod. ad l.*
Et de illo equidem controversia non est, quin per annalem præ-
scriptionem tollatur, *l. 5. C. de injur.* Sed de hoc utique quæri posset:
annum d. l. 5. pariter comprehendatur? Id quod negandum censemus,
quia à Jure Civili id provenit, hinc perpetuum est, ut tales actiones
omnes. *Pr. l. de perper. & temp. act. Vid. Clari. l. 5. sentent. §. Injuria. n. 9. Proff.*
Fam. prax. crim. l. 1. tit. 1. q. 10. n. 23. Gail. 2. obs. 105. Duaren. tit. de injur.
c. 2. Roland. vol. 2. cons. 39. Soarez. comm. opin. vers. injuriarum. n. 7. Ut
hinc generalitas textus, d. l. 5. restringenda sit ad casum §. 8. de Præ-
toria injuriarum actione, ut quæ potissimum injurias verbis illatas
persequitur, loquentis. De quibus d. l. loqui, verba convicuum objicere,
videtur indigitare. Contra Azonem, quem citat Anton. Perez. Comm.
in Cod. n. 19. de injuriis.

§. 26. Aggredimus jam publica delicta, pertextis omnibus ^{publicorum}
reliquis speciebus, prout instituti nostri ratio id postulat. Eortim-
que primum, quod animadversionem meretur, adulterium est. Sic ^{1. Adulterii.}
enim cum breviori quam vicennali tempore id prescribatur, spe-
ciali

C

ciali tractatione attingendum erit. Probē autem perpendenda sunt tria singularia, in præscriptione istius occurrentia. Primum est, quod maritus & pater adulteræ, intra 60. dies, soli possunt adulterii postulare adulteram, quo tempore currente, omnes extranei à jure accusandi excluduntur, l. 4. pr. & §. 1. l. 37. §. 1. ff. de minor. l. 11. §. 6. l. 14. §. 2. l. 3. ff. ad l. Jul. de adult. l. 6. C. eod. Atque sic terminus istius præscriptionis est duorum mensium. Alterum consistit in eo, quod extraneis, præter lapsis istis duobus mensibus, dentur quatuor adhuc alii menses, in quibus adulteram accusare possunt. Ergo in universum sex mensium præscriptione, finitur accusatio adulterii ab uxore admissi. Quotum priores duo, jure quasi privilegii conceduntur marito & patri solis, reliqui autem quatuor, tām iis, quām omnibus ex populo accusare volentibus competit, l. 4. §. 2. l. 29. §. 5. ff. eod. l. 1. §. 10. ff. ad SCium Turpil. Tertium in eo se exerit, quod si maritus se illo crimen polluit, post quinquennium, dē eo, neque per accusationem, neque per inquisitionem, queri possit. Atque hoc demū casu obtinet illud a Doctoribus traditum, adulterii criminis quinquennio præscribi, l. 11. §. 4. ff. ad l. Jul. de adult. Vid. Dn Dr. Carpzov. Prax. crim. d. l. n. 49. Tempus autem hoc consistente adhuc matrimonio, à tempore commissi delicti, continuum computatur, dissoluto autem eo, sex tantum menses competitunt, à tempore divortii numerandi, si scil. quinque isti anni nondum elapsi sint, secus si sit, planè non competit de crimen isto quæstio. Quod autem adulteram conveniendi datur jus, id lapsu utilis temporis tollitur. Buchov, ad Trent. vol. 2. disp. 32. ib. 2. lit. G. Harprecht. ad §. 4. I. de publ. iud. n. 52.

2. Apostasia.

§. 27. Huc referenda duo alia adhuc quinquennali præscriptione pariter abolenda crimina, *Apostasia*, *scil. & peculatus*. Illud duplex est: vel proprium, dum quis relictâ religione Christianâ, semel pro verâ agnitiâ, ad Judaismum vel paganismum deflexit. Panormit. ad c. 1. x. de Apostat. n. 2. Thom. II. 2. q. 12. art. 1. Tolet. summ. cas. consient. l. 4. c. 6. quod gravius scelus est, hæresi æquiparatum, c. 13. de heret. in 6, cuius quæ pœnæ sint, poterit videri Zæf. Commem. in Decretal. de Apostat. n. 1. & tit. de heret: vel *improprium*, dum religionem seu vitam monasticam professus, abjecto habitu, eam deserit, animo ad eam non revertendi. Hoc cum levius crimen sit, excommun.

communicatione punitur, c. 3. x. ne Clericus vel Monachus. Vid. Decian.
 Tract. Crim. l. 5. c. 71. In primum illud Constitutionibus Principum pariter severius animadversum est, imposita hæresis pœnâ, l. ult. C. de Apostat. quam gravem admodum fuisse docent l. 4. 5. & i. i. C. de heret. Potissimum notabile est, quod pertinaciores ultimo supplicio sint affecti, ex Auth. Gazaros. C. eod. idem de apostatis confirmat l. 5. C. de Apost. Singulare autem est in hoc crimine, quod viuenti apostatae & ad frugem fortè redeunti, pénitentia remissionem pœnz, non pariat; l. 3. C. eod. sed perpetua contra eum accusatio, unicuique ex populo sit concessa, l. 4. C. eod. Morte verò delinquentis cum non tollatur planè pœna, sed solitum sit publicatione bonorum, denegatione sepulturae &c. post obitum etiam, si crimen detegatur, in eos animadvertis; cautum est, ut post quinq; annos, à tempore interitus numerandos, neque accusandi neque inquirendi in eos, ulli unquam detur potestas, l. 2. C. eod. Sicque pari cum adulterio præscriptione hoc crimen gaudet. Vid. Theodoric. Disp. crim. 5. th. 9. Gl. ad d. l. 12. C. de falf.

§. 28. Qui peculatūs teneantur, explicatur in l. 9. §. 2. ff. ad 3. Peculatoris.
 L. Jul. pecul. Suntque illi, qui pecuniam vel publicam vel sacram, quæ eorum pericula non est, furantur. Et placet accuratoriis primum delicti genus peculatum, alterum sacrilegium appellare. Excell. Dn. Dr. Hahn. observ. ad Wesenb. ad L. Jul. pecul. n. 2. De illo agendi in præsens locus est. Et quidem dupliciter id scelus vindicatur. Nam Magistratus, qui pecuniam suæ administrationi commissam, intervertunt, aut in proprios usus dolosè eā utuntur, capite plebendi sunt, l. um. C. ad L. Jul. pecul. Alii verò tali officio non fungentes, deportatione puniuntur, l. 3. ff. ad L. Jul. pecul. Ambae tamen illæ pœnæ, per lapsum quinquennii (quod minus usitati, pariter & hoc delictum fovet) abrogantur, l. 7. ff. ad L. Jul. pecul. Decian. Tr. crim. Tom. II. c. 20. Hier. Gigas tr. de crim. lef. maj. rubr. qualiter & quando &c. q. 14. Eustath. de tempor. intervall. Am. Math. Tr. de crim. iii. 19. c. 4. Contr. Godofr. in not.

§. 29. Pertextis ita iis delictis, quæ ob brevius temporis spatiū à communī regula deviant, supererunt jam illa perstringenda, quæ diutius ultraque vicennium durare, ex quorundam sententiâ dicuntur. Efferruntur illa nomine atrociorum delictorum,

C 2
rum,

4. Atrociora.



rum, quorum natura est, quod vel propter nimiam delinquentis malitiam, vel propter severiorum legum prohibitionem, quo referenda etiam publica utilitas, aut ob alias circumstantias, rigidiori castigatione subdantur. His ex communi eorum doctrinâ ac censentur crimen læsa majestatis, ut quod ob varias causas gravissimi ferè criminis nonenactum est, suppositi item partus, l. 19. §. 1. ff. ad L. Corn. de ~~scilicet~~ particidii, l. ult. ff. ad L. Pomp. de Particid. assassinii, t. i. de homicid. in 6, vid. Molina de I. & I. tract. 3. diss. 24. n. 5. &c. aliaque plura delicta. Quæ in perpetuum durare, neque lunt ea: per- ullâ præscriptione aboliri volunt. Decian. Tr. crim. I. 7. cap. 37. n. 23. petua. Clar. 5. sent. §. ult. Boss. in Prax. crim. §. 41. n. 12. Ancharan. famul. quest. l. 2. q. 49. Hier. Gigas. Tract. de crim. laf. Majest. iii. qualiter, &c. q. 14. & 29.

Rationes ad-
bitandi.

Rationes de-
cidendi.

Resp: ad arg:
cont.

§. 30. Huic assertioni stabiliendæ, equidem non negandum, multum roboris accedere, ex dictis legibus, 19. scil. & ult. nec non l. 13. ff. ad SCum Silan, quod si tamen altiori indagine res perpendatur, sanè probabilius videretur, ab eorum stare partibus, qui omnia ista delicta vicennali præscriptione tolli statuunt. Innitentes potissimum generalitati textus l. 12. nostræ, nullas alias exceptiones admittenti, præter illas, quarum supra injecta jam mentio est, utpote expresse à legibus exemptas. Quæ exceptionis ratio hinc neutiquam deprehenditur, cum neque textus Juris, neque illa prægnans causa suadere eam videantur. Nam l. 13. ff. ad SCum Silan. & l. ult. ff. de particid.: ita accipiendæ sunt, quod scilicet in respectu ad pœnam, à SCto impositam, & quinquennio præscribendam, semper particidi duret pœna, secundum modum, qui omnibus delictis præscriptus est. Comparatè enim ibi loqui: JCtum, ut scil. inconvenientiam præscriptionis in his diuobus delictis occurrentem ostendat, antecedentia legis verba probant. Neque quenquam movebit, vocabulum generale semper, quò usi hic sunt JCti, cùm illud restringendum sit ad usum & rationem juris, quæ vult, ut post vicennium nullum delictum puniatur. Generalia enim generaliter intelligenda sunt, nisi leges expresse aliud suadeant, l. 15. §. fin. de testam. milit. Eberh. à Middelb. in Loc. Top. 78. n. 6. Sic enim perpetuæ etiam dicuntur omnes actiones, & tamen 30. annis præscribuntur, pr. I. de perpet. & temp. act.

Eodem:

Eodem quoque sensu accipienda d. 49. ff. de falsi quod scil. nulla præscriptione, nisi vicennariā, quæ in Jure fundata est, suppositi partus crimen tolli possit. Neque ratio, quæ ad inducendam hanc præscriptionem JCtos movit, contrariatur, cùm & in actionibus, post lapsum vicennii, & defectus probationis, & correctio præsumpta delinquentis, remissionem poena suadeant. Cujac. 4. O. 14. Ant. Matth. de Crim. tit. 19. c. 4. Tiraquell. Tr. de pœn. leg. temperand. d. caus. 29. Boſſ. d. §. 41. n. 12. Anchayan. 2. q. 4. 9. Theodoric. Colleg. Crim. D. 8. th. 8. lit. C. Zos. Comment. ad Dig. de accusat. num. 29.

§. 31. Quæ de objēcto præscriptionis nostræ, factâ & generatim & singulatim enarratione, omnium specierum præscriptibilium, dicta sufficerent, nisi coronidis loco circa conclusiōnem memtri hujus versantibus, discutienda se adhuc quæſtio offerret, quæ scil. obtineat præscriptio in dupli delicto, utiv. g. adulterio cum incestu coniuncto, quorum prius quinquennio, posterius vicennio aboletur? Et sanè non est dubitandum, quin ultima hic locum sibi vindicet. Quoniam. (1.) pro regulâ habetur, quod in casu, quo duo delicta sunt permixta, illud quod est magis perpetuum, adducat ad sui perpetuitatem, quod est minus tale. Sicque adulterium, novâ qualitate quasi indutum, usitato quinquennii privilegio, non gaudebit. Decian. Tr. Crim. I. c. num. 7. Zilet. Confil. Crim. Vol. I. 94. n. 13. (2.) Quia l. 39. §. 5. ff. de adult. expressis verbis, controverſiam nostram decidit. Lex item 29. §. fin. ff. eod, luculentō exemplo, à stupro per vim commissō petito, prædicta corroborat. Boér. decis. 26. num. 12.

§. 32. Incumbet jam nobis investigare ulterius, quo nam IV. Causam. jure introducta sit hæc nostra præscriptio, & annum Divino pariter efficientem. ac naturli juri sit conveniens? Et quidem Imperatoris constitutio- nibus, autoritatem ac robur ei maximè accessisse, potissimum ex ad. II. 2. & 3. ff. de requir. reis, & l. 12. C. de falselucet. Licueritne au- tem potestati Imperatoriz, pœnam à Jure Divino & naturali deli- citis dictatam remittere, sicque impunita relinquere scelera, & ad magnam peccandi licentiam fenestrā aperire, res non altioris tan- tūm in dignis, sed difficultatis intricatissimæ videtur? Affirma- turis quæſtionem, dubium sanè movere poterit, quod magistratus sit. mundanus, à summo Judice, non tantum homicidium; uti videre

est ex cap. 9. v. 6. Gen. c. 24. v. 17. c. 35. v. 16. Num; sed & alia etiam flagitia, dignè ulcisci jubeatur. Usque ad eò, ut negligentibus officium, flagitiisque ac sceleribus civitatem suam coinqui-nari patientibus, omnia mala cum eversione Reipubl. conjuncta, comminetur. Proverb. 17. v. 15. Deut. 19. v. 19. I. Reg. 20. v. 42. Facit huc etiam l. 9. §. 5 ff. de public. & vestig. Magnif. Dn. Dr. Ziegler. præceptor olim meus omni cultu devenerandus Committet in Grot. de J. B. & P. L. 2. c. 20. n. 6. Quin imò naturali rationi consonum maximè videtur, scelera dignis pœnis subjicere, quò societatis humanis sua tranquillitas constet, easque culturi securè in eâ vivere pos-sint. Id enim proprium Juris naturæ & quidem à priori talis judi-catur, quod ad conservandas societates civiles momenti quid con-fert, & contra illud ab eô alienum cumque illo pugnare dicitur, quod ad dissolvendas turbandasque eas facit. Cùm enim à naturâ homo ad se & tandas eas genitus atque factus sit, quicquid ab eo fi-ne vel consequendo, vel minus feliciter exercendo eum abducit, id omne naturam ejus destruit, rationique naturali contrariatur. Grot. de J. B. & P. L. I. c. 5. §. 10. Magnif. Dn. Bacler. Comment. ad d. l. Ex-cell. Dn. Puffendorff. in Elem. Jur. univ. defin. 13. §. 14. Diff. Guazz. de Ci-vili conversat.

Rationes de-sidendi.

§. 33. Hæc quamvis in thesi ita se habeant, tamen si ad hy-pothesin nostramque præsentem quæstionem transferantur, spero limitationem restrictionemque admissura. Præmittendæ autem duæ assertiones fundamenti loco sunt, discussioni controversiae nostræ non parùm lucis allaturæ. 1. Scilicet tenendum est, magistratum absolute ita ad puniendum non adstringi, ut non quandoque habita ratione necessitatibus utilitatisque publicæ, aut suspendere pœnam, aut facultatem quam habet puniendi, certis limitibus circumscribere possit. Nam causa magistratum obligans, ad pœ-nam à scelerato sumendam, inde provenit, quod officium ejus est, curare quò bonum civitatis promoveatur, interitusque ejus ac rui-na avertatur. Hoc maxime efficitur, si societati humanæ sua pax & tranquillitas constet. Quin & ratio propter quam homo ab homine justè puniri potest, tum demùm militat, quando patet, delinquentem damnum suâ culpâ aut dolo tale societati omnium in-tulisse, quo aut turbari aut planè everti illa possit. Et ad id pensandū, deque

deque impostorū non offendendo cavendum, meritò is obligatur. Covarruv. P. 2. var. quæst. 6. 7. n. 23. Sanchez. quæst. moral. l. 7. c. 4. dub. 1. n. 6. Cum hoc convenit illud tritum: vitium scil. peccatoris seu *avocia* actus, à magistratu tolli non posse, ad pœnæ autē executionem eum non semper teneri. Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 20. n. 17. Dn. Puffendorff. Elem. Jurispr. univ. l. 1. defn. 21. §. 9^o. 2. Hoc etiam nos fugere non debet, quod quamvis ea, quæ Juris naturæ sunt præceptivi, in totum immutari nullo modo queant, legislatore tamē mundanum potestatem habere ea explicandi, adque certas circumstantias applicandi. Laymann. in Theolog. Moral. l. 1. tr. 3. c. 22. n. 1. Amesius de conscient. & ejus jure l. 5. c. 1. num. 12. Hugo de Roy de eo quod justum est l. 3. c. 4. Lopezius singul. animadvers. c. 4. n. 7.

§. 34. Jam versantem circa præsens argumentum, inquire oportebit in rationes, ad defendendam præscriptionem futuras. Duæ autem præcipiæ occurunt, quarum altera publicam promovere utilitatem, necessitatique urgenti succurrere: altera reorum favorem juvare, deprehenditur. Enim verò certum est, post lapsum diutini temporis, probationem delicti ancipitem admodum ac implicatam futuram, judicemque multis molestiiis difficultatibusque ob defectum probationum legitimarum, se involvuturum, si criminis oblivione ferè deleti, meditari velit vindictam. Quod multiplicationem litium absque dubio augeret, judiciorumque ordinem justum, in re secundā copiā controversiarum judicialium, secundum optimorum legislatorum opinionem præcipue occupatum, absque dubio interverteret.

§. 35. Quæ omnia si considerantur, patet (1.) magistratum remittendo pœnam in hoc præscriptionis casu, pro officiū ratione utilitatem publicam promovere. (2.) Societatem humanam nullo modo lädi per delictum, quod vel difficile est probatu, vel si quæ (quod ratò tamen contingit) per confessionem delinquentis eliciatur, oblitione quasi abolitum, in exemplum vix trahi potest. Sicque cum cessent præcipiæ rationes, quæ pœnarum inflictionem poscunt, pœnam cessaturam etiam, meritò quis dixerit. (3.) Jura favorabiliter admodum de ejusmodi delinquentे præsumere. Autumantia nimirum, eum qui intra tanti temporis spatiū, actum vitiosum non repetiit, sed interea semper innocentem.

ac hō.

Acta Plurim



ac honestè vitam transigit; aut non credendum esse, quod dolo peccaverit, aut sine dubio tamen, se correxisse animique pravitatem deposuisse. Quinimò quicquid vitii in tali aetate tunc conspi ciendum se praebet, id omne per secutam paenitentiam purgatur. Ita ut consultius sit, Deo vindictam committere, quam in ancipi ti paenam infligere. Quod Iuri nostro non parum consonum est, in dubiis alias temper ignoscenti illis, qui sanguinem suum qualicunque modo redemunt volunt, *i. e. ff. de his qui sibi ipsi mort. consiv.* di mittentique indemnum eum, qui non nisi dubiis argumentis posset convinci. Sic itaque dum post vicennium à paenâ reum libe rant jura, non expresse Divinis ac naturalibus legibus contraveniunt; sed illud quod indeterminatè jubetur, superadditâ restrictione, limitant. Nam subjecere reum justæ paenæ, omnes leges præcipiunt, neque hoc etiam Civilia Jura unquam immutavere; sed quamdiu tempus reum ad paenam trahendi durare debeat, nec Di vino nec naturali jure expressum est; quare licitum fuit, hoc per legislatoriam autoritatem determinare. Explicandi enim & interpretandi Jus Divinum aut naturale, vel illud ad casus non expressos, sive restringendo seu extendendo, accommodandi, potestatem magistratui jam supra tribuimus. Vid. Angel. Boff Tr. de Conscient. erron. P. I. tit. 1. §. 29. Job. à Sande Theatr. pract. I. 5. tit. 9. defin. 1. Facit que huc, quod Dn. Gerhard. pia mem: Tom. VI. §. 309. de magistr. Polit. postquam prolixè de facultate eidem circa remissionem paeniarum competente, disseruit, regulâ loco suggestit, quando, inquit, lex ad mittit è tricennio, & reus emendaris sine duriore paena potest, nec dampnum patitur humana societas, nec cives redundunt exemplo deterioriores, tunc magistratus clementiori sententiâ adversus reum uti potest.

Tunc Can:
Gales pariter
hoc præscri
ptio.

§. 36. Jure Canonico hanc prescriptionem improbatam non esse, ratio *i. e. nov. oper. nunciata*: defectusque contrarium textuum, sentire nos facit. Quæ enim Hugo in Glossa ad can. admonere 33. q. 2. omnem accusationem scil. per 1000. annos & sic in infinitū durare, & posse vindicari delicta, quandocunq; claruerint, assert, de paenis spiritualibus, propter Ecclesiasticam disciplinam in peccantes statutis, sunt intelligenda. De quibus ad secularia, quæque in foro fori occurunt, argumentandum non est. Pet. Barbo

*bosa de prescript. 30. vel 40. ann. num. 227. Balb. de prescript. IV. par. 4.
princ. q. 2. Tessaur. Decis. Pedemont. 209. n. 1.*

§. 37. Quò respexerint legumlatores , dum præscriptioni *V. Finem.*
huic vim absolventi à pœnâ attribuerunt , non difficile est ex præ-
cedentibus conjicere . Dicatum etenim voluisse eos hoc remedio
litium multitudinem amputare , ne tribunalia frequentibus per-
plexisque querelis personarent , & nihilominus tamen ad dignam
castigationem scelerorum faciendam (cum difficulter admodum
ad sufficientem probationem pervenire liceat) parum proficeret.
Præterea consuluerit ita & delinquentibus , ut , postquam
tamdiu inter spem metumque anxxii hæc se , meritam pœnam ti-
mentes , demùm clapsò præfinito tempore securi tuique vivant , ni-
hilque amplius habeant extimescendum . Quæ antea fusiori ex-
plicatione pertractata , operiosius persequi h̄c supersedebitur.

§. 38. Magis jam proderit scrutari vim & effectum præ- *VI. Effectu.*
scriptionis , quidve illa conducat eā se defensuro . Meminimus in
præcedentibus , eandem in modum exceptionis à reo oppositam ,
liberationem à pœna tribuere . Quod tamen non ita accipien-
dum , ac si non aliter quam à reo ipso opposita , effectum hunc ha-
beat , sed tantum hoc eo infertur , reum , quoties in judicio ipsem
comparet , non aliter quam allegando exceptionem , ab instantiâ ab-
solvi . Ut enim omnia rei defensionem juvantia , intentionem
que actoris eliduntia , per exceptionem proponuntur : ita & præ-
scriptio pariter eodem jure censenda est . *di Castillo de J. & J. l. 2. 2.
1. d. 1. dub: 12. num. 162.* Quod tamen non impedit , quò minus reo
etiam non excipiente , illa nihilominus delictum ipso jure perimat ,
ita ut si de illâ ex actis constet . Judge ex officio teneatur eam sup-
plere , neque delinquentem ullâ ratione ejus nomine possit impe-
tere . Namque (i.) certum est , satisfactionem pro crimine &
præscriptionem , in Jure eundem habere effectum , ex l. 17. §. 6. ff.
de injur. Jam vero contra eum , qui satisfactionem prælitit , am-
plius acturus , non est audiendus ; ergo etiam contra eum qui deli-
ctū præscripsit . Majorem probat lex jam citata , remissioni injuriæ
voluntariæ , propter satisfactionem factæ , expressè eandem æquipa-
rans . Neque minor falsitatis argui poterit , cum , si accusatoris
intention audiri non debet , absque dubio illa ipso jure sit futura

nulla, haud' quaquam exceptione priùs infirmando. *Diff. Bonacoss. ad tit. de præscript. 30. vel 40. ann. num. 202, per l. 1. §. 10. ff. ad SCtum Turpill.* Item *Balb. IV. part. 4. prim. q. 2. p. m. 254.* (2.) Cùm Judici incumbat, laborare pro rei defensione, & si quā de innocentia ejus allegandā, propter beneficia de jure ipsi competentia, dicenda quādam superent, ex officio supplere. *l. 19. ff. de pœn. l. un. C. ut quæ def. Advoe. part. Jud. suppl.* necessariò sequitur, jus persequendi delinquentem, nullum superesse, si de præscriptione constet. *Zillet. Consil. Crim. 94. num. 19. Berlitz. P. I. cond. 41. num. 10. Tessaur. Decis. Pedemont. num. 209.* (3.) Multum etiam ad austerendum id movere nos poterit, usque adeò favorabilis conditio reorum, ut perire festinantibus & supplicia, neglectā appellatione sibi accelerantibus succurrere, Judici jura præcipiant. *L. 6. ff. de appell.* Quod si ne dubio pariter, per ignorantiam aut negligentiam defensionem omittentes, juvabit. Cùm major hic sit vis voluntatis expressa, quam tacita. *Vid. Panormitan. ad c. 15. x. de accusat. num. 15. in fin.* (4.) Non requirunt Dd. quod exceptio specificè & in formā debeat opponi, sed sufficit ipsi, si factum narretur, ex quo Judex conjicere possit, quānam beneficia Juris, reo criminis insinulato competent, ad defensionem ipsi etiam non allegata, profutura. *Nicol. de Milis in Repert. Jur. voc. Excepicio.* Quæ confirmat *Constit. Sereniss. Elect. Sax. 29. P. I.* quā cautum, ut nullo habito discrimine, inter civiles criminalesque causas, Judex attendat præscriptionis exceptionem, si ex actis de ea constet, quamvis non oppositam à parte. *Pingitz. quest. Illustr. Sax. 57. num. 14. Dan. Moller. ad Constit. Sax. P. 4. Constit. 19. n. 6.*

Sensu l. 25. ff. de pœnis. §. 39. Antequam hoc relinquamus membrum, uberiori explicatione persequendum erit, quod in l. 25. ff. de pœn. dicitur, mitigationem pœnæ concedi reo, si diu quamvis non per vicennium in reatu vixerit. In præcedentibus autem crebrius inculcatum est, præscriptioni huic nullum effectum tribuendum esse, nisi tempus præfinitum perfectè sit absolutum. Hærent Dd. hic de interpretatione legis incerti, & ob dubitabilem verborum sensum, quō non cuiilibet obvium est, quid in reatu esse significat, diversè sentiunt. Plerique putant, notari iis tempus, quod est intermedium inter delictum commissum & apprehensionem, quo reus de crimi-

crimine vel infanatus vel suspectus, semper inter sacrum & sa-
cum hærens, de periculo pœnæ sibi imminentि est sollicitus. Unde
diversæ oriuntur opiniones, arbitrantibus nonnullis, quod in ge-
nere omnia delicta mitigationem pœnæ mereantur, post longum
temporis intervallum demum detecta. *Vid. Farinac. & Carpzov. II.*
cit. Quæ tamen oppidō impugnanda videtur sententia, cum leges
citatae, quæ de præscriptione criminum loquuntur, expreſſe vi-
cennii lapsus requirant. Qui si absolutus non est, nulla immuni-
tas à pœnā erit concedenda. Ampliarentur enim verba legis, &
ad causas pares, si minùs dissimiles extenderentur, quod in corre-
ctoris Juris Communis, haud quaquam explicatori legis esse per-
mittendum, supra notavimus. Alia Clariſ. sententi. §. ult. q. 60. ¶.
preterea potest, in hac quæſtione est opinio, qui diſtinguendo inter
delicta levia & graviora, putat, quod in illis diuturnitas temporis,
ad leniendam pœnam prodeſſe poſſit, non autem in his, niſi Prin-
ceps expreſſe gratiam reo faciat. At credo longè diversa eſſe, tem-
poris diuturnitatì & autoritati magistratus, in relaxandis pœnis ali-
quid tribuere. Ille ſi veniam delicto dat, ſanè lapsus temporis
nihil operatur, cum liberum ipſi ſit, pœnam remittere, niſi ex-
preſſe à Divino aut naturali jure illa poſcatur. Quare maneret
tantum, quod in levibus delictis, tempus, reum à pœnā liberan-
dum, juvet, quod tamen eſſet, absque ratione novum ſenſum legi
affingere, ex verbis ejus minimè colligendum. Diversum planē
ab hoc ſtatuum Tiraquell. de pœn. ll. temp. cauſ. 29. Gomez. I. III. var. re-
ſolut. c. 1. n. 7, per c. 8. in fin. x. de Consang. & Affin. c. ult. in pr. de conſuetud.
quæ volunt, eò graviora eſſe crimina, quò diuinus infeliciem animam te-
nent alligata, diſtinguentes, inter delicta momentanea, qualia
ſunt homicidium &c. quæ potiſſimum uno actu perpetrata, in
codem ſubjecto reiterari nequeunt: & ſuccesſiva, quæ cum eadem
perfonā ſeptius frequentari poſſunt, uti ſit in adulterio &c. In illis
ex d.l. 25. mitigatione ſecundū eorū opinionem conceditnr; ſed in his
propter actum ſeptius repetitum, potius exasperanda quam lenienda
pœna veniet. At ſi qua propterea augendam eſſe pœnam ſtatue-
re, quia major in illo, præsumitur dolus atque in peccando perſe-
verantia, qui repetitā vice ſeſe illo polluit, quām in eo, qui ſemel
tantum deliquit: certè innutiliter planē inventam eſſe iſtam di-

stinctionem dixerim. Nam quoties de computatione præscriptionis delicti quæstio est, semper intelligitur initium illius currere, à termino delicti ultimò perpetrati. Jam parùm proderit ad probandum illius cursum justè absolutum, si ostendimus, minorem committentibus momentanea delicta, dolum inesse; cùm hoc potius probatione indigeat, reum per tantum temporis ab eo se abstinisse, quod legibus sufficiens judicatur, ad præsumendum emendationem delinquentis. Ut quæ sola ratio est, quare leges remitti pœnas volunt.

§. 40. Sed cùm optima legum interpretatio illa sit, quæ ex genuinâ & in Jure usitatâ verborum significatione mentem & sententiam legis eruit, Forster. de Interpr. LL. sanè indagaturis verum d.l. intellectum, præcipuè opera danda erit, evolutioni vocabuli reatus, quod verè crucem hîc figit Doctoribus. Et sanè docent nos l. 7. §. 2. ff. de bon. damn. l. ult. ff. ad L. Jul. Majest. l. 3. §. 9. ff. de munere & honor. reatum esse statum & conditionem reorum, ob horridum carcere squalorem tristem ac sordidam, in quô constituti sunt illi, qui ob patratum scelus in custodiâ & vinculis tenentur, usque dum condemnatio sequatur, & sententia procedat executio. Coras. 2. Miscell. 20. Aliat. 2. parerg. 20. Planè aliter quam citati autores, prout suprà jam monitum est, intellectum id volunt. Jam verò apparet, diuturnum tempus ad pœna mitigationem nihil proficeret; sed miseriam potius & calamitatem captivorum diutius in carcere detentorum, respici, quæ diu persepsæ, quasi in pœnam iis debent imputari & conducere ad eam leniendam. Quæ cùm ita se habeant, sanè ex d. l. nullo modo inferri potest, quod etiam non absoluto vicennio pròpter diutiniorem aliâ temporis lapsum, remitti aliquid ex rigore pœna debeat. Sieque hactenus dicta firmo adhuc stare tali putamus.

¶ II. *Comunia
præscriptio-
nis rerum
exilium &
delictorum.*

Q.

§. 41. Quæ differentia sit inter præscriptionem hanc nostram circa delicta versantem, eamque quæ in acquisitione dominii retum civiliū occupata est, ex ante dictis potuit elucescere. Subjungenda jam illa erunt, quæ convenientiam & similitudinem earum nobis exhibere poterunt. Variè à Doctoribus disputatum est, annum præscriptio currat contra ignorantem, remq; suam ab alio possideri nescientem? Inter tot Doctorum acres altercationes, probabilior affirmant-



affirmantium nobis videtur sententia, nixa hypothesi *l. ult. in fin. C. Aff. per rat.
de long. temp. præscr. item l. un. C. de usucap. transform:* quā statuitur ob *decid.*
evitandam dubiarum in Jure disputationum occasionem, omni in-
super habitā nescientiā domini, tempore elapsō præscriptionem ab-
solvi. *Wesenbec. de usucap. n. 4. & ex quib. cauf. maj. n. 10. vid. Carpov.
P. 2. c. 9. def. 1.* Trahendum hoc pariter ad delictorum præscriptio-
nem est, sic ut Judice criminis ignato, illa nihilominus & currere &
absolvi possit: quamvis cum limitatione hæc accipi velint, quod
sic fallant in casu, quo invincibilis ignorantia subest, quæ factum
planè reddit scitu impossibile, ut de eo nequicquam notitiæ ad Ju-
dicem pervenire possit. Quod si enim Judici, solerti inquisitio-
ne adhibitā, de crimine constare potuisset, sicque oscitantia negli-
gentiæque ejus imputandum sit, quod in commissa facinora non
diligentiū inquirat, tunc prædicta sine exceptione valebunt. Ut
enim vigilantibus suorumque jurium fatagentibus consulere vo-
lunt legislatores, *l. 24. ff. que in fraud. credit:* ita contra negligentes
commoda sua, sibique parùm prospicientes, omni emolumento
commodoque ex legum beneficio in eos aliàs redundaturo, pri-
vant. Quare uti dominus, patiens rem suam tanto tempore ab
alio possideri, sibi imputandum habet, si dominium ejus perdit: :
ita & judicis culpæ dandum est, si vicennio elapsō, litem capita-
lem ipsi intendere amplius non potest. *Profl. Farinac. Prax. Crim. l.c.
n. 14. Jul. Clar. l.s. sentent. q. 51. n. 5. Ferrandus Gargiæus Consil. Crim.
divers. 124. n. 18.*

S. 42. Quæ cum ita sint, præcedentia ruminanti constabit, *VIIH. Di- Ger-
præscriptions has uti formâ & essentiâ conveniunt, ita in reliquis
discrepare. Nam utraque quidem, legi præfinitum tempus, nul-
laque interruptione continuatum requirit: illa tamen versatur
circa res civiles bonaque externa acquirenda, hæc occupata est ad
crimina eorumque pœnas abolendas. Præterea finis illius speci-
alis, qui privatos concernit, eò tendit, ut dominia sint certa: hujus
autem ut rei tandem à pœna sint securi. Ratione effectus non ne-
gandum est, eas hoc commune habere, quod ambæ obligationem
quæ subest, tamen ad rem præscriptam pristino domino restituendam,
quæ pœnam debitam luendam, perimant; at in eo tamen diffe-*
sistunt pœna
scriptio
nus
rebus
præscriptio
nus



rentia notabilis sibest, quod illa dominium tribuat rei alienae, haec autem poenam à legibus reo dictatam tollat.

IX. Contraria

§. 43. Quæ hactenus dicta sunt, plerique spectavere eò, ut naturam atque essentiam præscriptionis nostræ declararent, monet jam ordinis ratio, paucis dicere, de contrariis ejus, quæ illam plane destruunt, vimque præscribendi omnem adinunt. Notum est, diutinam possessionem nihil prodesse præscripturo ad dominii acquisitionem, nisi justâ continuâque annorum serie perpetuata sit, l. 3. ff. de usucap. Celebrior autem morandi ejus cursum modus est; qui per interruptionem solet fieri. Quæ quamvis duplex statuatur, naturalis scilicet, quæ per corporalem dejectionem quis possessione privatur, l. 5. ff. eod. l. 15. de acquir. vel amitt. poss. & civilis, quæ per litis contestationem solet contingere, t. 1. 2. 10. C. de præscript. long. temp. Roger. Tract. de præscript. c. 4. n. 1. & seqq. Sutholt. diff. 6. §. 17. posterior tamen hic tantummodo quadrat. Quod effectum enim concernit, quem illa in civili præscriptione præstat, eundem haec ferè habet in accusatione aut inquisitione, contra reum intentatam. Ut enim illa præscriptionem inchoatam ad nihilum facit recidere, ut de novo sit ordienda: ita haec quamprimum accusationis aut inquisitionis factum tantum est initium, statim desinit, ut non amplius à tempore commissi delicti, sed interruptionis facta, primordia præscriptionis sine computanda. In quo non exiguae se prodit differentia. Quod scilicet haec nostra, etiam nudâ accusatorii libelli oblatione, vel requisitione rei, ad formandum inquisitionis processum, non interveniente citatione, evertatur: contra illi, non nisi per litis contestationem possit noceri, l. 2. & 10. C. de præscript. 30. vel 40. ann. Oldendorp. tr. de præscript. & usucap. summ. 3. n. 25. Joh. à Sande Theatr. pract. l. 5. iii. 9. def. 1. & 2. Bonacina in Quæst. Crim. verb. Præscriptio. p. 156. Diff. Balb. de Præscript. in 3. par. 6. princ. p. 582. & sic intelligendam vult l. 11. §. 6. ff. de adul. rationem dans, quod scil. sola oblatio libelli, non sit de processu, nec de actis; neque faciat litis pendentiam, cui adstipulatur Pet. Barbosa ad l. 3. C. de præscr. 30. vel 40. ann. n. 457. Vid. & Gail. obs. 174. n. 20. Verum à præscriptione causarum civilium, ad eam, quæ est rerum criminalium, argumentari velle, intutum foret. Quia in hac propter absentiam rei, difficulter admodum, aut ad litis contestationem pervenire, aut cita-

citationem impetrare licet. Cum illa absente reo fieri non possit: hanc autem ut elusoriam haud facilè judex decernat. Et ita timendum, ne raro nimis contingat ejus interruptio.

§. 44. Porro si accidat, quod reus legitimè citatus per consumaciam latitet, sive Processu ordinario condemnetur, questionis est, utrum à tempore condemnationis de novo currat præscriptio, an vero perpetuò illa obstat, ita ut lapsus quamvis à tempore condemnationis vicennio, delinquens tamen nunquam à pena tutus sit pronunciandus? Posterior nobis arridet sententia, cum quod condemnatio sub conditione videatur facta, si nimis capiatur reus, adque ulteriore examinationem Judicii fistatur, quæ quamdiu non existit, præscriptio initium habere non potest, cum quod magistratui sententiam exequivolenti, obstat semper fuga absensis rei, atque ita contra invalidum ad agendum & impeditum, non possit currere præscriptio. Flam. Chartaréus in Tr. de execu. sent. cap. bannito cap. fin. n. 313. Ant. Tesfau. Decis. Pedemont: 76. n. 4. Dm. D. Carpzov. Prax. crim. d. l. n. 54. Ut rectè hinc inferant Dd. quod is, qui publicè proscriptus & ex Imperio est bannitus, nullo tempore præscriptione se tueri possit. Schneidev. Comment. in J. de Spec. præscript. n. 46.

§. 45. Sufficiet, hæc, pro ingenii tenuitate, qualis qualis propositi argumenti pertractatio. Limitatione materiae præstantia postulasset; sed variis impedimentis interrupta cludia, curta itidem librorum supellex, & indoles majoribus impar, tralatatio operi veniam precabuntur. Dabitur fortè occasio, quæ omissa, ex veteri, cum græcā cum latinā historiā, huc spectantia momenta, adjectis, quarū variae adhuc superant, questionibus, alias labor pertexat. Interedne vacuae maneant pagellæ, easdem, in vicem membra affinis, abollendi delicta modos, tractaturi, adiectæ questiones replebunt.

Decas Quæstionum Juridico-Politicarum.

Q: I. **U**trum justum, ministros, mandatum Principis illicitum excequentes, penam dignam afficer? Pugnat hinc summi Principis auctoritas necessitasque urgens ministros, quibus recusatio obsequii, in crimen.



in crimen certe, si non in interitum cedit; illinc natura mandati certis limitibus circumscripta, quos transilire esset naturæ & DEI legibus aperte contravenire. Cum enim major DEO quam magistratu debeat reverentia, cui illicita præcipienti nequaquam mos gerendus, quin ultima æquo animo potius toleranda sunt; sequitur sane ejusmodi sceleratorum consiliorum adjutores, neque boni viri nec boni civis officium facere, sive penam mandatariorum ex l. 15. ff. de siue, eos meritò manere. Probat hoc exemplum Magni largitionum Comitis, sub Juliano Imperatore omnium consiliorum ministri, multorumque scelerum & autoris & instrumenti, qui jussu ejusdem magni precii templum incendens, sub Joviano postmodum ad novum e fundamentis extruendum, fuit condemnatus.

Qu. II. An hoc conducat aut Reipublicæ aut Principi? Si Reipubl. status planè mutatur, ut in Persico, mortuo Cambyse, in Romano ejecto Tarquinio, & in Anglicano non ita pridem trucidato Rege contigit, rerum summâ ad Patres vel plebem delata; sane nullum subest dubium, quin maximè è re sit eorum, qui noviter rerum potiti sunt, ejusmodi scelerum effectores dignâ penâ plecti. Præbet enim magnam justitiae speciem, eosdem, ut fieri sollet in invidiam omnium adductos, communique consensu multorum scelerum insimulatos, ut gratam populo victimam objici. Facit etiam multum ad conciliandum odium pristinæ gubernandi formæ, quando illi publicè examinati & convicti, multa flagitia prodere confiterique, quæstione de iis habitâ, assolent, quæ populus quo magis detestatur, èo graviori etiam odio, regimen, sub quo illa commissa sunt, prosequitur. Præterea Vespasiani consilio possunt madidæ illæ spongeæ, opibus impotenter exactis turgidae, exprimi ita & exsiccari, pecuniaque in usus Reipublicæ, perpetuo milite, donisque in populm & Officiales spargendis, stabilenda firmandæque, converti. At manente pristinâ Reipublicæ facie, distinguendum esse crediderim, quæ raturne, an Principis potentia autoritatique prosit, an verò procerum libertatem, juraque regium fastum limitantia augeat? De primo si sermo est, affirmandam quæstionem puto. Quod ministros habere fideles, solius Principis nutum sequentes, & in efficiendis iis, quæ principatus

patus firmandi gratiā jussa sunt, audaces, jam olim inter arcana impotentia imperia conservandi, relatum esse videmus. Vid. *Aristot. l. 5. Polit. II.* Quos haud facile inveniet Princeps, si mortuo aut destituto eo, de malefactis reddendam sibi rationem fore illi noverint. De secundo usque adeò nego, consultum proceribus, infrunitam illam ministrorum licentiam incastigatam pratermittendam esse, ut potius nullum non movendum iis lapidem putarem, quò sevèrè in eos: quounque tempore & occasione animadvertisatur. Multi enim timore pœnæ ita absterrentur, ne Principibus prava consilia suggieran, aut ad executionem eorum facile se offerant. Hinc illæ contentiones inter Status Scotiæ & Mariam Reginam de abigendo Rizio, de quo plenus *Thuani liber XXXVII.* Et quoniam querelæ in veteri recentique historia extant, de avaritiâ & impotenti dominatione primatorum Regum ministrorum, frenendentibus sapientibus; sed ob Regum potentiam missitare quandoque non ausis. Sub Claudio enim Galba Vitellio &c. duabus Romanis ministrorum, quām Principum imperium extitit. Vid. *Magnif. Dn. Boëler. Dissert. Polit. in Suet. Claud. §. 6. Galbam. §. II. Vitellium. §. 5.* Et si per recentiora tempora ire vellemus, quid in Belgio Margaritâ gubernante, in Galliâ item, Hispaniâ & Angliâ, majorum motuum causa fuit, quām quod imminutam ministrorum auctoritatem, Status voluerint, Principes contra, omni nisu eam sint tutati? Vid. *Fam. Strad. l. 1. & 3. hist. de bell. Belgio,* ubi de Granvellani odio differit. Item quæ historici de Cardinale Ambois sub Carolo VIII. de Duke Lorraine & Olivare, quin & Hamiltonio passim memorie prodidere.

Q. III. An proditionis, perduellionis, aut alijs sceleris notorijs, suffici, & ob extantes certissimas probationes facile convincendi, dissimulari posse facinus, ne ejus suppicio Respublica in seditiones turbasque exardeat? Licere Magistratui gratiam delicti quandoque facere, neque teneiri eum semper omnia crimina ad vivum resecare, si utilitas Republicæ, aut urgens necessitas diversum suadeat, antevertimus tractare in præcedentibus, ubi de justitiâ materiæ nostræ præscriptibilis egimus. Et dicerem sanè minori id curâ adstruendum fore, quoties circa tale crimen coercendum versamur,
E. quod!

quod immediate ad ləsionem proximi non tendit, & in effectu nondum est productum, sed ob securitatem tantum regnantium, & ne exemplo noceatur, pœnam meretur. Cum eo casu Magistrati remittere aliquid de summo jure consultius sit, ut quo Republicæ securitas minus ləditur, quam suppicio unius vel alterius turbulenti irritare crabrones hydramque secare.

Q. IV. *An utile hoc sit Principi?* In hāc quæstione ob varietatem casuum, variè distinguendum erit. — Sic enim pro diversâ ratione imperantium, & eorum, qui conspirationis rei aguntur, diversè sentiendum est. Princeps enim conjurations suorum apprehendens, easque severè vindicare cupiens, præcipue consideret, oportet, num tanta potentia fultus militeque tam copioso instrutus sit, ut omnibus motibus inde exsurgentibus apertâ vi possit contravenire? Id quod Agathocli crudeliter in cives suis sacerdoti prosperè successisse, testis est *Justinus lib. 23. c. 2. Polybius l. 15.* Quin etiam Augustum valido exercitu fultum, proscriptionum cædiumque crudelissimè peractarum felix exitus mansit. *Dio Cass. l. 45. Tac. l. Annal. 16. Magnif. Dn. Boëcler. in not. ad h. l. & dissert. ad Sueton. August. §. 7.* ubi pluta ad dilucidationem istius argumenti facientia, poterunt videri. Quod si autem tam potens non sit, cautius sane ipsi agendum erit. Ostendenda enim potius quam adhibenda severitas; sed ne impunita licentia ad effrenatam andaciam erumpat, carpantur ex improviso maximè feroce, complicum interim dissimulata sceleris consociatione. Ita multi retrahentur à facinoroso incepto timore pœna, quod vident, redire ita ad frugem, non esse, crimen confiteri, aut (quod solet alias contingere) pœnam imminentem sibi accelerare, sed ignoratum facinus tegere & occultare. Cum contra ea, si manifestatum irise videant, extrema ex desperatione agitantes, ima summis sint misturi. Temperatus enim timor sobbet animos, asiduus autem in audaciam jacentes excitat, & omnia experiri suadet. Accerrima virtus est, quam ultima exprimit necessitas. *Senec. l. de clem. 12.* Atque sic rectè pœna ad paucos, metus verò ad omnes pervenit, prudenterque non pœna semper, sed pœnitentiâ erimus contenti. *Agric. 19. 4.* Huc specent, quæ *Tacitus II. Ann. 40. XII. Annal. 35. 55. XIV. 6. I. His. 20. pruden-*

prudenter in hanc rem adducit. Post hæc ingenia conspirantium probè discernenda sunt. Qui enim ex animi levitate & inconsulto quodam affectu, nullâ ratione ad id impulsi, in societatem sceleris rapti sunt, illis ut minùs pertinacibus in proposito, tunc ignosci poterit. Quo consilio Augustum Cinnae condonasse, & recte Seneca fuisse, ut sanabilia ingenia à deploratis distingueret, ex multorum iudicio credendum est, i. de clem. c. ii. Quod secutus Henricus IV. in Bironio, sùa quidem gratiâ servando, nisi propria virum ambitione egisset præcipitem. *Vid. Perfix dans l' histoire de Henry IV. P. II p. m. 354.* Huc referendi illi, qui magno populi nituntur favore, ut nihil severi statuere in eos possis, ni totam gentem velis in te concitatam. Non valet tunc quod Segestes Varo suggestit, *nil ausuram plèbem, Principibus removit.* *Tac. I. Ann. 56.* Sed præcavendum potius, quod in Julio Civili olim timebatur, eximendas tales periculo, ne supplicio eorum ferox gens alienetur, i. *H. 59.* Quod, si ab Henrico III. Albanoque in reprimendis Guisiorum, Egmontii & Hornii spiritibus non neglectum fuisset, fortè neque ille tam funesto patriam implevisset bello, *Tiuian. l. 93.* *Perfix dans l' histoire de Henry IV. p. I.* neq; hic gubernatione tot florentissimarum ditiorum fuisset privatus. *Famian. Strad. decad. I. l. 7. hist. de bell. Belg.* Aliter planè res se habet cum iis, qui ob injurias sibi illatas vindictam spirant, multisque ex populo odio sunt. Horum conatus ut nocunti publicae, infringendi in tempore, ipsique ut infesti Reipubl. turbatores statim tollendi sunt è medio. Quare tardum nimis Tiberius in evertendo Sejanu se præstitit. *Tac. IV. Ann. 38. Magnif. Dn. Boëcler. Dissert. Polit. ad Sueton. Tiber. §. 30.* Melius autem & felicius contrà Ancreus pestundatus. *Grammond. Hist. Gall. l. 2. Vid. Magnif. Dn. Forstner. in Notis ad Tacit. I. Ann. 10. & XII. Ann. 19. Lipsi. l. 2. Mon. Polit. c. 12.*

Q. V. Utrum Amnestiâ generali factâ, in eos, qui durante bello, insignia quædam dama, nobis tum tempore ut hostibus intulere, gravius aliquid statui posse? Qui de occultis rationibus Reipubl. statum contervandi, quas communiter iurium dominationis nomine effecerunt, aliquid scriptum reliquere, in eo serè omnes consentiunt, quod honestatis finibus illæ coarctandæ sint. Esse autem illam recte rationis dictamen, divinis ac naturæ præceptis comprehensum.

E 2 perhibent.



pethibent. Cujus præcipua capita religionem & fidem faciunt. Hos volunt limites, omnium actionum Politicarum, quos transilire ullo aut utilitatis aut necessitatis publicæ prætextu, impium injustumque habent. Quodsi jam his conditionibus aut pax coalescat, aut deditio fiat, ut perpetuâ obliuione deleantur, quæcunque belli tempore antea gesta sunt; sanè nullo jure ob-enormitatē facinorum præterito tempore admissorum, ad supplicium quisquam poterit trahi. Cum pacis sibi prospicere voluerint pacem ineuntes, quæ quoties non servantur, fides violatur, naturaq; iussis bellū indicitur. Vid. Boxhorn. Disſ. de Amnest. § 5. & 6. Magnif. Dn. Bæclerus Tr. de Amnestia. t. 2.

Qu. VI. Quid utile? Si solum illud momentum, quo corroboratur potentia imperantium, amplioraque regna redduntur, perpendere h̄c vellemus, susque deque habitâ graviori qualibet honestatis ratione, fateor multū incrementi publicam rem inde capturam. Præterquam enim quod ob perpeſtas injurias ultionem spirans animus ita exſatiatur, magnus præterea incutitur timor illis, qui imposterum facessere Principibus negotii aliquid, habent in animo, ne omnem reverentiam planè erga eos exuant, neq; offirmatos nimium se prætent, in belligerando paciscedendoq; gnari malitiam pertinaciamque tantam non impunè se laturos. Quo consilio ſeulum nostrum vidit principem magna autoritatis, ultimo suppicio, raro aliâ exemplo, affectum. Boxhorn. cas. Polit. 60. 7. Quin imò ſæpius ſpe venia & præteritorum obliuionis ad dimittendas copias, tradenda loca munita, aliaque ad diminuendas eorum vites ſpectantia pacta ineunda pertrahuntur, quo facto postmodùm, si promissa ipsis non servantur, ut imbellia animalcula, quæ aculeum perdidere, mastari poſſunt. At cogitantem h̄c paulò altius, non latebit, ejusmodi gubernandi rationem Divinam pœnam incurrire, eorumq; pudorem ejusmodi technas ac machinationes adhibentium, non parū apud justitiae honestatisque amatores ſuggillare. Magnif. Dn. Bæcler: in Not. Polit. ad Tac. I. Ann. 10. §. 5. In tantum eyitandum Principibus malum, quantum uſui ipsis est, præcipua rerum ad famam dirige-

re. Lx-



re. Læsa enim imperantium existimatione, ob justitiae negleg-
tum, neq; reverentia neq; autoritas amplius eos manet, & tan-
tum abest amari tales à plebe, ut capita eorum uti Deo exosorum,
immissis percussoribus licitari impunè posse eos, quorum interest
res Ecclesiæ publicasq; salvas esse, pessimo exemplo sit creditum,
vid. quæ apud Grammond. de potestate Regij fusè disputata sunt,
lib. 1. Hist. Gall. & Precio in sepius citatâ historiâ Henrici IV. part. 1. Gerb. qq.
Polit. decad. 3. 2. Hippolytus à Collibus in Principe c. 3. Hoc tamen ad-
dendum est, melius excusari posse ejusmodi damnatas rerum geren-
darum artes, si necessitatibus publicæ urgentis intuitu adhibeantur,
quam si soli regnandi cupidini inserviant.

Qu. VII. Utrum Princeps, si semel gratiam malefaciū cuidam se-
cit, postea pœnitentiâ ductus, de novo ad penam eum trahere posse? Prä-
supponimus in tali criminе nos versari, quod remittere Principi li-
cet. Et ipsum de omnibus circumstantiis, atrocitatem criminis
fortè augmentibus, bene edoctum fuisse, ut per ignorantiam nihil
egerit. His enim casibus datam veniam revocare, neque glorio-
sum Principi neque justum foret. Cum negotium hic intercesser-
it, Principis promissione fideque roboratum, quam religiose
colere ad auctoritatem & aucupandam gloriae laudem facit mul-
tum, argumento eorum, quæ in quaestione non dissimili, de pri-
vilegiis à Principe concessis statuant Doctores. Vid. Zoef. Comment.
ad ff. de LL. num. 37. Hinc quid judicandum sit de defensione Philo-
tæ in concione ita se defendantis: hoc qualemque est confessio mihi Ale-
xander remisisti, dexteram amplexus reconciliati animi pignus apud Curt.
VI. 10. lecta integra historia a.c. 7. d. lib. & accuratius ex metu peri-
culi imminentis allegata à Cratero & reliquis consiliariis rationes
et. 8. docebunt. Vid. Freinsheim. ad h.l. verb. suppressurus.

Qu. VIII. An uile hoc Principi? Judicandum id ex magni-
tudine commodi, quod vertitur in singulis causis. Quid si enim
non multum interfit Principis, factam semel gratiam retractari,
equidem non consultum ducerem, ob vile & exiguum lucrum glo-
riam beneficentia obscurreare. Spirat enim aliquid abjecti, aut
ad minimum inconstantiam animi indicat, citò dare citoque a-

imere beneficia. Cum generosi potius sit animi, non temere aliquid largiri, si tamen quid in aliquem dignè collatum est, ægide & nonnisi ex prægnanti causâ iterum auferre. At ubi magnum veritut præjudicium, ipsaque res postulat, solum ad poenam trahere, publicæ rei utilitas, opinioni laudis istius consequendæ, semper anteponenda est.

Qu. IX. Utrum Alexander M. rectè Miletenses tam crudeliter habuerit, ob Mædonicam gentem olim à majoribus eorum proditam? Puto non rejicendum Curti l. 7. c. 5. additum judicium, inquietis: Quæ si in ipsis proditionis autores excogitata essent, justa ultio esse, non crudelitas videatur. Nunc culpan majorum posteri luere, qui ne viderant quidem Miletum, adeò Xerxi non potuerant prodere. Non debet sanè personas egredi culpa, quam poena comitatur. Cum ex dolo delinquentis proveniens justa puniendi causa, heredes & successores non afficiat, de parentum aut majorum suorum nequitia, per sanguinis propagationem nequamquam participantes. Proprium factum oportet adsit, idque adversum legibus & liberatum, si de adhibenda animadversione justa, cogitat magistratus. Vid. Grotius l. 2. c. 21. §. 8. 12. & seqq. Freinsheim. Comm. in Curt. l. c. verb. justa ultio. Et c. l. 5. c. 6. verb. postero die.

Qu. X. An uile? Ejusmodi crueles & nonnisi effusionem sanguinis innocentis spirantes actiones, nō possunt non tam savorum ultorum rodere famam, si minus per ora omnium traducere ejusmodi facinora uti iusta, & à moratoriis gentibus semper damnata. Hæc sequitur vindicta Divini Numinis, exterorum contemptus & opprobrium subditorumque odium & perfidia. Reges enim D'E I Vicarios meritò colunt omnes ac venerantur, quamdiu munere illo per virtutum ac probitatis viam incidentes, dignos se præstant. At quoties deflectunt ab illo tramite, adque vitiorum diverticula aperte delabuntur, pro reverentia contemnus pro amore odium ipsis reponitur. Invisosque semel seu benè seu male facta premunt. Quate impio magis quam imprudenti consilio quidam voluere, ut si quæ Principes prædicti virtutibus non sint, quin viuis potius indulgeant, nihilominus speciem earum præbeant populo, hæc; quantum possibile tegant. Machiavell. in Princ. c. 15. & 18.

SOLI DEO GLORIA.



99 A 6958



VDA

Dekor





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Q. D. B. V.

DISPUTATIONEM JURIDICAM
INAUGURALEM,

D.C.

PRÆSCRIPTIONE DELICTORUM,

Decreto & Autoritate
**MAGNIFICI, NOBILISSIMI,
AMPLISSIMIQUE JURECONSULTORUM
ORDINIS, IN ILLUSTRI ARGENTI-
NENSIMUM LYCEO,**

*Pro summis in Utroque Jure
adipiscendis Honoribus,*

Solenni Eruditorum Disquisitioni
exponit,

**CONRADUS STRAUS, Wittebergā
Saxo.**

Die Martii Ann: M DC LXVII.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI,

Literis GEORGII ANDREÆ DOLHOPFFII.

Imprimebat JOHANNES Schüß.

